J. Carmignani

IN
PISANA ACADEMIA
ANTECESSORIS

JURIS CRIMINALIS
ELEMENTA

EDITIO QUARTA

VOLUMEN II.

ROMÆ
Apud Michaelem Perego-Salvioni

EDEBAT MACERATÆ
Benedictus qm. Antonii Cortesi
Sumptibus Æmygdii Cæsarini
1829.

Temperatus cohibet timor:
Assiduus, acer, extrema admovens
In audaciam jacentes excitat.

Sen. de Clem. 1.

ELEMENTA
JURIS CRIMINALIS
LIBER TERTIUS
DE DELICTIS ET POENIS SPECIATIM (1)
PARS PRIMA
DE CRIMINIBUS SIC PROPRIE DICTIS
SECT. I.
DE DELICTIS POLITICIS (§. 111.)
CAP. I.
DE DELICTIS DIRECTIM POLITICIS (§. 112.)
TIT. I.
GENERALIA EXPONUNTUR PRINCIPIA
I. *Criminum titulus indicatur.*

§. 662. Generali delictorum *directim politicorum* nomine omnia comprehenduntur, quæ adversus reipublicæ támquam persona moralis

---

(1) Satius duximus methodum in prolegomenis præstitutam (§. 59.) aliquantulum immutare ac tractatio nem de delictis directim præcavendis ad ultimam operis partem ablegare.

considerata securitatem moliuntur: ideoque politica nuncupantur quia, cum in primarias, atque essentiales societatis bases se dirigant, politicam hominum conditionem subvertunt. Hujusmodi vero bases in summi Imperii stabilitate consistunt omnino (1). Summum in civitate constitutum Imperium, ut ejus magnitudo aptiori vocabulo significaretur, *majestatis* nomine designari placuit (2); quapropter hæc crimina majestatis titulum generatim sortiuntur (3). Cum majestatem dicimus humanam non divinam significamus (4). Est autem *civilis majestas* summa, nullique obnoxia potestas, quæ multas familias unum in locum coeuntes et societatem a ceteris distinctam constituentes gubernat, omnium præterea sociorum libertatem, dignitatemque referens (5).

II. *Criminum tituli divisio.*

§. 663. Majestatis nomine Jure Romano *securitas* atque *amplitudo* Populi Romani, Romanorumque Imperatorum significabatur (6). Cum autem majestas libertatem ac dignitatem com-

---

(1) Schmidt d'Aventstein *Principes de la legislat. univ. vol.* 1. *ch.* 3.

(2) Nominis etymologiam illustrat Matth. *ad lib.* 48. *Dig. tit.* 2. *cap.* 1. *n.* 1.

(3) Majestatis titulum jamdiu abrogatum a *l.* 30. *nov.* 1786. iterum sapienter restituit *lex.* 30. *aug.* 1795. *art.* 9.

(4) Matth. *loc. cit. n.* 2.

(5) Cremani *lib.* 2. *cap.* 3. §. 2.

(6) *Dig. lib.* 48. *tit.* 4. *leg.* 1. *in princ.*

plectatur (§. 662.): libertas vero atque securitas ab his, quæ *hostiliter*, amplitudo ac dignitas ab his, quæ *irreverenter* admittuntur, labefactari queat, hinc hujusce tituli exorta divisio: *majestatis* nempe *ex primo capite*, quod facta in Principem *hostilia*, et *majestatis ex secundo capite*, quod facta *irreverentia* complectitur (1).

III. *De his, quæ majestatis crimen generatim constituunt.*

§. 664. Ut majestatis crimen contrahi possit necesse est I. ut majestate potiatur qui passus est, II. ut huic majestati subjaceat, qui fecit, III. ut actus intercedat cui criminis titulus applicari valeat, IV. ut actus adsit probatio.

§. 665. I. Qui summam in cives, et subditos potestatem habet is majestate potitur sive ea Principis sit sive Optimatum sive Populi sive late exerceatur sive angustis territorii contineatur limitibus (2) sive demum, moribus hodiernis, exteram potestatem superiorem habeat (3). Summa autem potestas cum res facti simul et juris sit, abunde patet, eos tantum majestate præditos esse qui majestatis jura reapse retinent atque exercent (4).

---

(1) Boehmer *Elem. Jurispr. crimin. sect.* 2. *cap.* 5. §. 72.

(2) Matth. *ad lib.* 48. *Dig. loc. cit. n.* 3.

(3) Clar. §. *læs. majest n.* 3. *et* 9. *in fin.*

(4) Grot. *De j. b. et p. lib.* 1. *cap.* 4. §. 15. Blackstone *Coment. on the laws of England. B.* 4. *chapt.* 7. *p.* 77.

§. 666. Majestas a *dignitate* distinguitur. Majestatis particeps est imperii præsumptus hæres: dignitatis Principis Conjux dummodo tamen ab ea legitimus imperii hæres haud speretur (1). Supremi denique reipublicæ magistratus dignitatis participes sunt non majestatis (2).

§. 667. II. Crimen majestatis contrahunt qui supremæ potestati *natura* aut *jure* subjiciuntur. Natura subditi Principis sunt populi cives, qui intra fines alicujus civitatis nascuntur: jure qui in civitatem recipiuntur (3).

§. 668. Qui natura subditi sunt etiamsi in aliam regionem domicilium transtulerint subditi tamen semper esse censentur (4). Jure subditi vel cives non sunt, quibus honoris dumtaxat causa civitatis jura traduntur (5). Advenæ donec apud nos sedem fixerint ab incolis recte distinguuntur, adeoque si quid adversus patriam vel Principem machinentur non rei læsæ majestatis fiunt sed veluti hostes aut exploratores tractantur. Idem de legatis exterarum nationum dicendum (6).

---

(1) Boehmer *ad Carpzov. quæst.* 41. *obs.* 4. eique subscribens Cremani *lib.* 2. *cap.* 3. §. 7.

(2) Disc. *Cod. lib.* 9. *tit. leg.* 5. quæ, teste Gothofredo, precariam fictitiam plasticam exemplarem majestatis speciem effinxit eam ad viros illustres extendendo. Conf. Cremani *lib.* 2. *cap.* 3. §. 11.

(3) Matth. *ad lib.* 48. *Dig. loc. cit. n.* 7.

(4) Matth. *ad tit.* 48. *Dig. tit.* 2. *cap.* 1. *n.* 8.

(5) Matth. *loc. cit.*

(6) Binkersoek *De for. legat. cap.* 17. conf. Boehmer *ad Carpzov. quæst.* 41. *obs.* 2.

§. 669. III. In actionibus designandis, quæ tamquam majestatis crimina habendæ sunt, legumlatori ita omnia perspicue constituenda, ut hujusmodi titulus ad alias species facile trahi nequeat (1). Præterea majestatis crimen, teste Ulpiano, dolo malo contrahitur, ideoque dolo ex proposito (2) non ebrietate (3) non culpa (4): sexus tamen delicti imputationem non minuit (5).

§. 670. Nuda criminis cogitatio quamvis imprudenter patefacta crimen non est si nulla intercedat criminis executio (6). Lubricum linguæ ad crimen facile trahendum non est (7). Quoniam autem *scribere est agere* nil dubium majestatis crimen scriptis contrahi posse si in vulgus edentur (8).

§. 671. Criminis immanitas recte suasit ut conatus veluti perfectum crimen habeatur, eademque severitate voluntas sceleris qua scelus ipsum puniatur (9): adeoque nulla inter principalem et accessorium delinquentem adhibenda distinctio si de delinquente accessorio agatur qui talis committendo est (§. 211.). Nuda criminis scientia, ac denunciationis omissio tam-

(1) Montsquieu *Esprit des loix liv.* 12. *ch.* 7.
(2) *Dig. lib.* 48. *tit.* 4. *leg.* 1.
(3) Matth. *loco cit. cap.* 3. *n.* 4.
(4) Blackstone *Coment. on the laws of England. B.* 1. *ch.* 6. *p.* 78.
(5) Matth. *loc. cit. n.* 3.
(6) Matth. *loco cit. n.* 4.
(7) *Cod. lib.* 9. *tit.* 7. *leg. un.* Montesquieu *Esprit des loix liv.* 12. *ch.* 78.
(8) Blackstone *loco cit. chap.* 6. *n.* 1.
(9) Matth. *loco cit. n.* 4. Poggi *lib.* 2. *cap.* 10. §. 53.

quam a fidelitate deflexio extra ordinem punienda aliquibus visa est extra tamen majestatis notam (1): nudaque receptatio quin dolo malo admissa adpareat complicitatis omnino exors est (2).

§. 672. IV. Hoc crimen a judicibus non in occasione sævitiæ habendum est ob majestatis venerationem sed in rei veritate (3) : ideoque nil præ ceteris, ad probationem quoad attinet, singulare habet neque in probationibus pensitandis a regulis juris recedendum est (4) ; si tamen casum excipias, in quo Respublica aut Princeps in extremo sit, resque solida vi sine strepitu ac figura Judicii sit expedienda (5).

TIT. II.

DE CRIMINIBUS MAJESTATIS EX PRIMO CAPITE.

I. *De Perduellione, ejusque variis speciebus.*

§. 673. Perduellionis nomen veluti genus plures species sub se complectitur, scilicet actiones omnes designat, quæ *hostili animo* in Principem, vel rempublicam committuntur (6). Quos

---

(1) Poggi *loc. cit.* §. 57.
(2) Matth. *ad lib.* 47. *Dig. tit.* 10. *cap.* 2. *n.* 3.
(3) *Dig. lib.* 48. *tit.* 4. *leg.* 7.
(4) Matth. *ad lib.* 48. *tit.* 2. *cap.* 4. *n.* 11. *l.* 30. *ov.* 1786. *art.* 62. *l.* 30. *aug.* 1795. *art.* 9.
(5) Matth. *loc. cit. n.* 11.
(6) Quod si non hostili animo sed avaritia in Principem vel rempublicam conspiratum sit, hoc crimen non minuit sed auget. Matth, *loco cit. n.* 2. *cap.* 2.

enim nos hostes veteres *perduelles* appellabant (1). Est autem perduellionis crimen *rebellio, sumptis armis, initave factione, adversus patriam vel Principem* (2).

§. 674. Perduellis *in specie* est qui palam arma in patriam et Principem sumit, civilia aut externa bella suscitat fovet, vel Principem ipsum sive per se sive per alios (horribile dictu!) ferit, obtruncat. Ad Perduellionem *generatim* ea omnia referuntur, quæ non *aperta vi* sed *clam malisque artibus* in patriam vel Principem subditi machinantur veluti *proditores, conspiratores, conjurati etc.* (3).

§. 675. *Proditionis* nomine quantum late patet ea omnia continentur crimina quibus cives sociale fœdus infringunt (4). Angustiori significatu vox sumpta actiones designat, quibus quis ratione vel muneris vel officii aliquo arctiori fidelitatis vinculo obstrictus in necem Principis vel patriæ exitium conspirat, veluti si qui Principi a consiliis sunt arcana reipublicæ hostibus pandant, qui in magistratu aut in legatione sint in patriæ perniciem machinentur (5).

---

(1). *Dig. lib.* 50. *tit.* 16. *leg.* 234.

(2) Matth. *ad lib.* 48. *Dig. tit.* 2. *c.* 2. *n.* 2. virorum illustrium, qui Principi a consiliis sunt, internecio tum veluti perduellio vindicanda est cum non ex odio privato sed ut publicus subvertatur ordo in eos ausum sit. Conf. Boehmer *ad Carpzov. quæst.* 24. *obs.* 2. Numquam tale facinus perduellionis instar puniendum esse contendit Nani *ad Matth. loc. cit. not.* 4.

(3) Cremani *lib.* 2. *cap.* 3. *art.* 1. §. 3. 4.

(4) Blackstone *Coment. on the laws of England. B.* 4. *chapt.* 6.

(5) Cremani *loc. cit.*

§. 676. *Factio* tamquam generale nomen accipi potest, quo significatur quælibet *societas occulta seu arcana in exitium aliquod conflata occasionem erumpendi in tempus expectans* (1).

§. 677. Si ea societas secretiore aliquo sacramento puta jurejurando firmetur *conjurationem*, si secus *factionem* simpliciter aut *conspirationem* vocant (2).

II. *De ceteris speciebus perduellioni proximis.*

§. 678. Summum imperium in civitate constitutum non modo armis, pravisque machinationibus labefactare sed etiam periculosæ multitudinis commotionibus vel privatorum conventibus perterrefacere iniquum est: hinc I. seditiones, II. tumultus, III. collegia illicita arcenda.

§. 679. I. *Seditio* est *civium dissentio quod seorsum eunt alii ad alios* (3) eaque vel *militaris* est vel *paganica* (4). Seditio ideo a rixa distinguitur quia in hac tres etiam personæ sufficiunt (5): in illa decem saltem aut quindecim homines requiruntur (6). In seditione non factum tantum sed causa faciendi est sedulo in-

---

(1) Cremani *loc. cit.* §. 6.

(2) Ibid.

(3) Non Marcell. apud Matth. *lib.* 48. *tit.* 2. *cap.* 2. *n.* 5.

(4) Matth. *loc. cit.*

(5) Cremani *loc. cit.* §. 7.

(6) Matth. *loc. cit. n.* 5.

vestiganda (1). Si multitudinis concitatio contra summum Imperantem, ac Reipublicæ statum suscepta appareat, auctores perduellionis tenentur crimine (2). Si vero vociferatio alterius rei gratia concitata sit perduellionis legi illam subjicere durum foret et absurdum (3). Si quid in seditione gravius acciderit quin contra summum Imperium hostiliter gestum sit, actione legis Juliæ de vi, de qua inferius, non majestatis agendum erit (4).

§. 680. II. Differt a seditione popularis tumultus qui ex accidenti aliquo exoritur, ingentemque animorum perturbationem ex periculi sive veri sive ficti formidine præsefert (5): cum quis consulto tristia nunciare potuerit ut timor nascatur, et exinde tumultus fiat, idcirco finis, et consilium moti tumultus cognosci debet ut recte de criminis jactura judicetur (6).

§. 681. III. Cum res sit plena periculi plures simul convenire arbitrio suo, ac privata auctoritate inter se coire, metusque accedat factionum atque tumultuum, quos adversus Principem, leges, Religionem, moresque improbi cives machinari possunt, hinc collegia illicita veluti reipublicæ pestis prohibentur (7). Collegium est plurium vel saltem trium personarum ejus-

---

(1) *Dig. lib.* 47. *tit.* 2. *leg.* 40.
(2) Poggi *lib.* 2. *cap.* 10. §. 50.
(3) Matth. *loc. cit. cap.* 3. *n.* 11.
(4) Poggi *lib.* 2. *cap.* 11. §. 61.
(5) Matth. *loc. cit. n.* 5.
(6) Cremani *lib.* 2. *cap.* 3. *art.* 1. §. 8.
(7) Renazzi *lib.* 4. *part.* 3. *cap.* 3. §. 2.

dem potestatis ac muneris, rerumque ad id pertinentium societas (1).

TIT. III.

DE CRIMINIBUS MAJESTATIS EX SECUNDO CAPITE.

§. 682. Hujusmodi crimina (§. 661.) Romanis libera florente republica penitus ignota fuere. Primus Augustus ad contumelias in Principem majestatis notam porrexit (2): atque eo, in dies crescente tyrannide, ventum est, ut levissima facta etiam quæ sæpius tantum contra *decorum*, et citra dolum admittebantur, tamquam majestatis crimina vindicarentur (3), quæ idcirco a sequioris ævi jurisconsultis delicta *contra jura Principis honorifica*, *læsæ Majestatis in specie*, vel etiam *læsæ venerationis* nuncupata fuerunt (4).

§. 683. Ad convicia in Principem, et quemcumque venerationis defectum quod attinet non desunt qui majestatis crimen injuste et absurde vocari dixerunt: quandoquidem licet ejusmodi convicia et injuriæ gravissimæ sint, pœnisque coercendæ majestatis tamen macula notari nequeunt (5).

---

(1) Matth. *ad lib.* 47. *Dig. tit.* 15. *cap.* 1. *n.* 1.

(2) Quæ criminis origo atque abusus fuerit docent Cremani *lib.* 2. *cap.* 3. et Filangieri *lib.* 3. *part* 2. *cap.* 45.

(3) Boehmer *Elem. Jurispr. crim. sect.* 2. *cap.* 5. §. 78.

(4) Cremani *loc. cit.* §. 13.

(5) Conf. Cl. Cremani *dict. cap.* 3. *art.* 2.

TIT. IV.

DE POENIS.

§. 684. Antiquo Jure Romano perduellionis rei virgis ad necem cædebantur vel infelici arbori reste suspensi vel furcæ intexta cervice (1). Lex Cornelia, quam tulit *Sylla* dictator, aquæ et ignis interdictionem substituit (2), quam pœnam leges Juliæ sub *Cæsare* et *Augusto* latæ retinuerunt, donec idem Augustus extraordinario primum dein ordinario jure deportationem sancivit (3). Postea humiliores bestiis objiciebantur aut vivi exurebantur: honestiores capite plectebantur (4). Postremo Arcadii et Honorii acerbissima prodiit constitutio, qua perduellionis rei, eorumque conscii ultimo afficiebantur supplicio, bona eorum omnia fisco addicebantur, eorumque memoria post mortem damnabatur (5). Apud nos perduelles pœna capitis, atque infamia plectuntur (6).

§. 685. Crimen majestatis in specie, quidquid

---

(1) Sigonius *De judic. lib.* 2. *cap.* 29.

(2) Gravin. *Orig. Jur. lib.* 3. *cap.* 85.

(3) Dion. *lib.* 5. *pag.* 587. Guadagni *Inst. jur. civ. lib.* 1. *tit.* 3. §. 10.

(4) Paul. *lib.* 5. *sent. tit.* 29.

(5) Hæc constitutio in Justiniani libris est *lex* 5. *Cod. lib.* 9. *tit.* 8. in Cod. Teodos. *lex*. 3. *lib.* 9. *tit.* 14. cui titulus - *ad legem Corneliam de sicariis* - Illam Mathæus, Scipio Gentilis, aliique illustrarunt ac præ ceteris eruditissimo comentario locupletavit Jac. Gothofredus *Cod. Theod. loc. cit.*

(6) *L.*30. *aug.* 1795. *art.* 9.

aliter aliquibus visum sit (1), eadem pœna qua perduellio vindicabatur (2). Moribus hodiernis extraordinaria pœna in hujusmodi crimen animadverti doctores tradunt (3). Apud nos si quæ contra reipublicæ magistratus, qui Principem repræsentant, convicia prolata sint, dum suas ipsi functiones exercent, exilio et relegatione pro admissi gravitate coercentur: si vero de reali agatur injuria, ac personæ læsio intercesserit, pœna ad opus publicum per triennium extenditur (4).

§. 686. Seditio et tumultus, si citra perduellionis titulum consistant, tamquam vis publicæ species coercentur.

§. 687. Collegium temere ineuntes, si nihil adversus Principem et rempublicam machinati sint, criminis extraordinarii jure Romano tenentur (5). Pœna illiciti collegii arbitraria est, nec dissolutionem collegii excedit (6). Si vero collegia ex animo proficiscantur male in Principem et rempublicam affecto, lege Julia majestatis puniri Ulpianus indicat (7).

---

(1) Hotoman. *De verb. jur.* verbo *perduellis.*
(2) Matth. *ad lib.* 48. *Dig. tit.* 2. *cap.* 3. *n.* 2.
(3) Carpzov. *Prax. crim. quæst.* 41. *n.* 119.
(4) *L.* 30. *aug.* 1795. §. 11. 12.
(5) *Dig. lib.* 47. *tit.* 22.
(6) *Dig. lib.* 47. *tit.* 22. *leg.* 3. *in princ.* et *lib.* 1. *tit.* 12. *leg.* 1. §. *ult.*
(7) Matth. *ad. lib.* 47. *Dig. tit.* 15. *cap.* 2. *n.* 2.

CAP. II.

DE DELICTIS INDIRECTIM POLITICIS.

Significatio nominis, ac specierum enumeratio.

§. 688. Graviter, sapienterque animadversum est, perduellionis scelus *atrocitate reliquis criminibus præstare, quæ licet gravissima sint non tamen ipsa per se totius reipublicæ interitum, atque exitium trahere secum videntur* (1). Hinc solæ perduellionis species verum, propriumque *politicum delictum* constituunt.

§. 689. Cum de actione quæstio sit, quæ si damnum inde exortum tale deprehendatur, quod modo plus modo minus in summi imperii, ac reipublicæ tranquillitatem recidat, ac nihilominus agentis intentio non eo respexerit ut summum in civitate constitutum imperium subvertatur, ideo delictum *politicum* in hujusmodi actione deprehenditur quia politicam civium conditionem in discrimen adducit, *indirecte* vero tantum quia ex animo male in Principem affecto haud processit.

§. 690. Ex quibus fit, crimina indirectim politica mediam veluti sedem inter majestatis titulum, et cætera in rempublicam facinora quodammodo tenere: ita ut ad illum facile transire possint si id agentis intentio pro re nata sua-

---

(1) Cremani *lib.* 2. *cap.* 3. *art.* 1. §. 1.

deat (1). Huc autem pertinent crimina. I. Contra *Religionem publicam*. II. *Contra Jus gentium*. III. Contra *tranquillitatem publicam*. IV. Contra *Justitiam publicam*.

TIT. I.

DE CRIMINIBUS CONTRA RELIGIONEM PUBLICAM

I. *Horum criminum expenditur indoles.*

§. 691. Delinquentis manum non animum leges sistunt, multaque sunt, quæ contra jus fasque committuntur, quæque vel ob probationis defectum, vel ob definiendi difficultatem, vel demum ob impossibilitatem omnia pœnalibus constitutionibus præcavendi, legum sanctionem effugiunt (2). Sola Religio, dogmatum scilicet, practicorumque actuum complexio, quæ, fide prælucente, Deum optimum maximum tamquam secretiorum scelerum scrutatorem, et vindicem esse demonstrant, humanarum legum imperfectioni supplendæ par est (3). Haud scio, ait Ci-

---

(1) Plura delicta jure Romano ad majestatis titulum referebantur, quæ hodiernis moribus ad alias criminum classes pertinent ut de carceris effractione, falsa moneta etc, dicendum erit. Jacobus Gothofredus *tertium* et *quartum* majestatis caput indicavit, quorum alterum in *potestate publica turbata*, alterum in *carceris effractione* et *falsa moneta* consistere ratus est. *Coment. ad Cod. Theodos. vol* 3. *p.* 100.

(2) Bentham *Traités de la legislation civil. et penal. vol.* 1. *pag.* 202.

(3) Bentham *loc. cit.*

cero, an, pietate erga Deos sublata, fides etiam, et societas humani generis, et una excellentissima virtus justitia tollatur necesse sit (1).

§. 692. Quapropter interest summopere civitatis ut certe constitutæ sint, atque serventur inter cives de Deo notiones, ac interni, et naturalis amoris, spei, timoris, reverentiæ sensus, qui naturæ Divinæ contemplatione in hominibus excitantur, externis etiam actionibus, in quibus præcipuæ externus situs est Religionis cultus, confirmetur.

§. 693. Si quis igitur acceptas in civitate de Deo notiones evellere, contrarias in vulgus edere, externumque Religionis cultum publica auctoritate firmatum spernere ausus fuerit, veluti publicæ legis violator civilibus pœnis coercendus est (2).

II. *De his, quæ crimen contra Religionem publicam generatim constituunt.*

§. 694. In criminis indole atque imputatione recte constituenda nec iis assentiendum est, qui, cum intellectus actus necessarios esse dictitent, effrænam conscientiæ libertatem tamquam primævis naturæ juribus consentaneam esse contendunt, ac ad religionem quod attinet delinqui posse inficiantur (3), neque iis, qui crimen in

---

(1) *De natur. Deor.*
(2) Mably *De la legislation etc. liv. 2. ch. 2.*
(3) Thomasius *Dissert. an hæresis sit crimen.* Boehmer *ad Carpzov. quæst. 44. obs. 1.* Noodt *De religione ab imperio jur gent. libera.*

religionem publicam, tamquam Divinæ majestatis læsionem, vindicari voluerunt (1).

§. 695. Quoniam crimina non ideo politice imputantur quia suapte natura prava sunt sed quia societati contraria (§. 67.) abunde patet, crimen ipsum in religionem publicam tamquam reipublicæ noxium imputandum esse (2). Omnia igitur, quæ crimen in sua specie actionem societati contrariam efficiunt, in hujusmodi crimine confirmentur oportet.

§. 696. Ex quibus colligitur, ibi crimen in religionem publicam adinveniri ubi hæc simul concurrant, scilicet I. Actio externa, quæ vel *suapte natura* vel *Ecclesiæ Judicio* religioni contraria appareat (3), II. Intentio ad religionem vel subvertendam vel minuendam directa (4), III. Actionis publicitas: ita ut ex ea publicum scandalum subsequutum sit (5).

---

(1) Voet *ad Pandect. tit. ad l. Jul.majest.* §. 1. Brunemann *ad Pandect. ib. n.* 2. contra quos legem Juliam majestatis de majestate divina ne gry quidem habere contendit Matth. *ad lib.* 48. *tit.* 2. *cap.* 1. *n.* 2. conf. Cremani *lib.* 2. *cap.* 2. §. 12.

(2) Grot. *de J. b. et p. loc. cit.* Matth. *loc. cit.* Blackstone *Coment. on the laws of England. B.* 4. *ch.* 4. De Simoni *Delitti di mero affetto* part. 2. *cap.* 1. §. 8. Moutesquieu *Esprit des loix liv.* 9. *chap.* 12. Patria lex 30. *nov.* 1786. *art.* 60. crimina, quæ religionem violant, actus in societatem non in Deum hostiles nuncupat.

(3) *L.* 2. 5. 6. 7. *Cod. lib.* 1. *tit.* 1. Cremani *loc. cit. art.* 1. §. 8.

(4) Filangieri *Scienza della legislaz. lib.* 3. *cap.* 14. Poggi *lib.* 2. *cap.* 3. §. 18.

(5) Paoletti *Inst. crim. teor. prat. vol.* 1. *pag.* 48. 52.

§. 697. Cetera, quæ sine publicæ Religionis dispendio Deum lædunt, ac internam potius Divinæ legis violationem inducunt, publicæ pœnæ non subjiciuntur, ac Deo tantum vindicanda relinqui debent. Ipse enim supremus vindex est, et Judex eorum, quæ geruntur in terris et, ut ait Grotius, *ad ea noscenda sapientissimus, et ad expendenda æquissimus, et ad vindicanda potentissimus* (1).

III. *Criminum species enumerantur.*

§. 698. Quoniam non omnes in Deum offensæ crimina contra Religionem publicam sunt, (§. 695.) idcirco non omnia in Deum delicta, quæ talia *Jure Canonico* sunt, pari ratione *Jure politico* esse possunt, criminumque entitas, atque gravitas relativa legibus constituta attendi debet (2).

§. 699. Hetruriæ nostræ legibus inspectis, nam ad jus Romanum quod attinet plura in desuetudinem abiere (3), quæ publicam religionem violant pro admissi gravitate in duas classes commode dispescuntur, quarum altera ad *justitiam* altera vero ad *politiam* referri potest. Ad primam classem pertinent I. *Sacrilegium*, II. *Impia in Religionem publicam dogmata*, III. *Blasphemia*: ad alteram cætera si perjurium

---

(1) *De Jur. bell. et pac. lib. 2. cap. 20. n. 1.*
(2) Paoletti *Inst. crimin. teoric. prat. vol. 1. pag.* 50.
(3) Conf. Filangieri *Scienza della legislazione lib. 3. part. 3. cap. 44.*

excipias, quod in crimen abit contra publicam justitiam.

CLASSIS PRIMA.

N. I.

Sacrilegium.

§. 700. Sacrilegii vox hic communi (1) non classico (2) sensu sumitur: estque quodvis factum, quo Deus aut Religio despectui habetur (3). Quia vero Dei, et Religionis externo cultui res sacræ dicatæ sunt, hujusmodi crimen recte definitur *rei sacræ dolosa violatio* (4), reique appellatione tum *res* tum *loca* tum *personæ* significantur (5).

§. 701. Quoad personas sacrilegium admittitur si quis violentas manus in clericum vel Religiosum virum, aut fœminam Deo dicatam injecerit (6). Quoad loca si quis Ecclesiam temeraria concione, jurgiis, rixisque ad hoc dolo malo concitatis turbaverit, aut invaserit (7). Denique quoad res sacrilegium committitur si quis altaria fregerit, spoliaverit, incenderit, Eucharistiæ

---

(1) De Simoni *Delitti di mero affetto part.* 2. *cap.* 21. §. 15.
(2) Quintilian. *Instit. orat. lib.* 7. *cap.* 4.
(3) Poggi *lib.* 2. *cap.* 3. §. 15.
(4) Cremani *lib.* 2. *cap.* 2. *art.* 6. §. 1.
(5) *Dig. lib.* 50. *tit.* 16. *leg.* 3. 33.
(6) Poggi *lib.* 2. *cap.* 3. §. 17.
(7) Cremani *lib.* 2. *c.* 2. *art.* 6. §. 6.

Sacramentum violaverit etc (1). De rebus sacris subtractis commodius alibi dicendum erit. Hinc iis omissis, quæ jure Romano sub imperatoribus Sacrilegii nomen ad actiones huc non pertinentes immodica severitate protraxerant (2), nobis titulus criminis in publicorum sacrorum turbatione aut violatione consistit (3).

N. 2.

Impia in Religionem publicam dogmata.

§. 702. Publica Religio non facto tantum sed et verbis, et scriptis offenditur. Facta suapte natura religionis contemptum exhibent. Cum de verbis aut scriptis quæstio est, quæ religionem naturalem, quæque revelatam penitus destruunt irreligiosa suapte natura sunt, ideoque ea tantum, quæ revelatam religionem ex parte lædunt Ecclesiæ Judicium exposcunt (§. 696).

§. 703. Religionem naturalem destruunt *Atheismum*, impia scilicet opinio, quæ Deum esse negare præsumit: *Epicureismum*, quæ Deum admittit sed nostra non curare contendit : *Cacotheismum*, quæ Dei existentiam, ac providentiam fatetur, sed ex illius perfectionibus fe-

---

(1) Decian. *lib.* 6. *c.* 16. *n.* 6.

(2) Sacrilegium fuit dubitare an dignus esset quem elegerit Imperator *Cod. lib.* 9. *tit.* 29. *leg.* 2. Divinæ legis sanctitatem *nesciendo* omittere *Cod. eod. tit. leg.* 1. petere administrationem provinciæ, ex qua petens originem duxerit *Cod. eod. tit. leg. ult.*

(3) Matth. *ad lib.* 48. *tit.* 2. c. 2. *n.* 1. Cremani *lib.* 2. *cap.* 2. *art.* 6. §. 6

re omnia stultissime detrahit (1): revelatam penitus rejicit *Deismum*, quod Dei existentiam tantum admittit ast omnia rejicit, quæ de ejus natura revelatio cœlitus demissa demonstrat. Quapropter gravius delinquerent qui hujusmodi impia dogmata in vulgus edere conarentur.

§. 704. Nostram Sanctam Catholicam Religionem violant I. Apostasia, II. Hæresis, III. Schisma.

§. 705. I. *Apostasia* idem græce sonat quod latine *desertio* (2), eaque vel *a fide* est cum quis christianam religionem omnino deserit, et ad Hebræos aut Gentiles discedit, vel *ab Ordine* cum quis in sacris constitutus clericus clericalem abjicit vestem, et laicorum more se gerit, vel *a Religione* cum quis religiosa vota professus institutum suum proprio arbitrio, et sine animo redeundi deserit, vel demum *inobedientiæ* si quis Ecclesiæ addictus legitimo superiori obedire recuset (3).

§. 706. II. *Hæresis* est *pertinax christiani hominis error Ecclesiæ universalis judicio damnatus, Fideique catholicæ ex parte contrarius* (4).

§. 707. III. *Schisma* est *ab unione Ecclesiæ voluntarius recessus* (5). Schisma vel *purum*, vel *non purum* dicitur: non purum quod

---

(1) Allatas impietatis species enumerat Plato *De legibus dial. X.*

(2) Renazzi *lib.* 4. *cap.* 3. §. 1.

(3) Renazzi *ib.* §. 4.

(4) Cremani *lib.* 2. *cap.* 2. *art.* 1. §. 4.

(5) Poggi *lib.* 2, *cap.* 7. §. 33.

cum Hæresi conjunctum est: purum cum Ecclesiæ catholicæ Caput rejicit tantum (1).

N. 3.

Blasphemia.

§. 708. Blasphemia definiri potest *convicium in Deos vel in Sanctos suos prolatum* (2). Si convicium in Deum ipsum proferatur *immediata*, si in Deiparam et Cœlites suos *mediata* dicitur blasphemia (3). Quia vero *dictis* vel *facto* Blasphemia committitur, ideo in *verbalem* et *realem* dispescitur (4). Blasphemia realis admittitur si Servatoris nostri, Deiparæ, vel Sanctorum imagines percutiantur aut polluantur (5).

§. 709. Iterum verbalis Blasphemia vel *simplex* vel *hæreticalis* est (6). Hæreticalis vero dividitur in *attributivam*, quà Deo tribuitur, quod ei non convenit, veluti ignorantia crudelitas: in *imprecativam*, quæ malum Deo precatur: et *dehonestativam* quæ de Deo aliquid

---

(1) Poggi *loc. cit.*

(2) Boehmer *sect.* 2. *cap.* 2. §. 32.

(3) Cremani *lib.* 2. *c.* 2. *art.* 2. §. 2.

(4) Decian. *Tract. crim. vol.* 2. *lib.* 6. *c.* 2. *n.* 11. Damhoud. *Pract. crim. cap.* 61. *n.* 20.

(5) De Angelis *De delict. part.* 1. *cap.* 24. *n.* 5. *n.* 13.

(6) Cremani *loc. cit.* §. 3. simplicis blasphemiæ exempla exhibet Filangerius *lib.* 3. *part.* 3. *cap.* 44. *pag.* 245. *not.* 1.

profert, quod ejus naturæ est, sed ludibrii, et contemptus causa profertur (1).

N. 4.

De Imputatione, et pœnis.

§. 710. Sacrilegii pœna jure Romano olim erat aquæ et ignis interdictio: postea sacrilegi extra ordinem puniebantur, et plerumque capite (2).

§. 711. Apud nos Sacrilegium, *sacrorum* scilicet *turbatorum crimen*, et pro *qualitate admissi*, et pro *finis* in agendo *diversitate* tres imputationis, ideoque et pœnæ gradus recipit. I. Si sacrilegus ita deliquerit ut multitudinem concitaverit ad religionem publicam subvertendam, atque destruendam, perduellionis reus efficitur, infamique morte multatur (3). II. Si in sacrilegio admissi qualitas turbatorum sacrorum crimen præseferat ex animo proficiscens male in Deum et religionem affecto quin sacrilegus eam tamquam reipublicæ legem submovere sibi proponat, istiusmodi facinus tamquam perduellioni proximus, ac vis publicæ species opere publico vel ad tempus vel in perpetuum coercetur (4). III. Denique si sacrilegium non ex animo male in Deum ac religionem affecto processerit ita ut

---

(1) Exemplum est illud in Christum morientem Judæorum, de quo Matth. *XXVII.* 40.

(2) Matth. *ad lib.* 48. *tit.* 10. *c.* 4. *n.* 1.

(3) *L.* 30. *aug.* 1795. *art.* 9.

(4) *L.* 30. *aug.* 1795. *art.* 10. juncta *l.* 30. *novemb.* 1786. *art.* 60.

actionis *effectus* non *finis* fuerit, tum delicti titulus ex ſine non ex effectu desumitur, sacrilegium qualitas delicti evenit, quæ illius imputationem auget, ast speciem non mutat (1).

§. 712. Impia in religionem publicam dogmata si publice et palam vel verbo vel scripto in vulgus edantur vel ut multitudo ad illam subvertendam moveatur, vel ut publica sacra turbentur, pari ratione ac sacrilegia punienda sunt (2).

§. 713. Ad Apostasiam, Hæresim, et Schisma quod attinet animadvertendum an ista tamquam de Deo opiniones edantur, quod jam actum est, vel in practico recessu a catholica ſide vel ex toto vel ex parte consistant.

§. 714. Tolerantia civilis, quæ post Westphalicum fœdus, inter cultiores Europæ populos tamquam publica lex invaluit (3), id invexit ut criminum deſinitio ab ea, quæ ex Jure canonico descendit, non parum differat, et ut istiusmodi habeantur crimina necesse est I. ut qui Hæresim vel schisma amplectitur is catholicam ſidem professus fuerit, II. ut qui Apostata vel Hæreticus vel schismaticus dicitur, is natura civitatis nostræ subditus sit (4).

§. 715. Gravissimæ in apostatas, et Hæreticos a Romanis Imperatoribus constitutæ sunt pœnæ, qui eos criminis læsæ majestatis accusatos volue-

---

(1) Poggi *lib.* 2. *cap.* 3. §. 18.

(2) Arg. *l.* 30. *aug.* 1795. *art.* 9. *l.* 30. *nov.* 1786. §. 60.

(3) Crimani *lib.* 2. *cap.* 2. *art.* 1. §. 14.

(4) Hæc non satis animadvertit vir ceteroquin diliġentismus Paolet. *Inst. crim. theor. pract. lib.* 1. *tit.* 1. cum de hæresi loquitur.

runt (1). Decet equidem catholicum Principem religionem nostrorum patrum sarctam tectam tueri. Ast cum sine lege loqui erubescere debeamus (2), nec ulla in apostatas, Hæreticos, et schismaticos in nostris constitutionibus pœna sancita inveniatur (3), satius est eos, si modo excitati, ac prius moniti pertinaciter suis adhæreant erroribus, a civitate expellere ne ceteros vel dicto vel exemplo corrumpant (4).

§. 716. Jure Romano inspecto, blasphemantes nimis fortasse severe pœna capitis plectuntur (5), quod tamen intelligendum est quoad consuetudinarios et incorigibiles (6). Jure, quo nunc in Hetruria utimur, Blasphemiæ, quæ non ex animo in Deum male affecto sed ab ignorantia, impetu, ebrietate processerint, carcere multantur, dummodo tamen *repetitæ*, *formales*, *atque hæreticales* haud sint, quo casu sacrilegii instar plectuntur (7).

---

(1) Matth. *ad lib.* 48. *Dig. tit.* 10. *cap.* 4. *n.* 1.

(2) Matth. *lib.* 48. *Dig. tit.* 5. *cap.* 6. *n.* 5.

(3) Conf. Paoletti *Inst. crimin. theor. pract. lib.* 1. *tit.* 1. *pag.* 50. qui tum tantum hæresim civiliter puniendam statuit cum palam doceatur.

(4) Conf. Cl. Cremani *lib.* 2. *cap.* 2. *art.* 1. §. 16. et auctores in notis citatos. Blackstone *loc. citat. pag.* 44.

(5) *Cap.* 1. *præcipimus auth. ut non luxurientur homines.*

(6) *Dict. auth.* quæ ita habet–permanentes in prædictis illicitis et impiis actionibus –

(7) *L.* 30. *nov.* 1786. *art.* 61.

N. 1.

Simonia.

§. 717. Hoc crimen recte definitur *rei temporalis pro spirituali re pactio atque conventio* (1), inque illud incidunt qui munera vel *manu* vel *lingua* vel *obsequio* ut rem *spiritualem* seu *spirituali annexam*, aut *conventionaliter* tantum aut *realiter* exhibent, recipiunt (2).

§. 718. Quoniam publicæ religionis interest ut publica sacra in sua puritate serventur, nil dubium istiusmodi crimen instar *ambitus* civilibus pœnis coercendum esse (3), quæ apud nos rei familiaris jacturam non excedunt (4) quidquid gravius Romanæ Leges sanciverint (5).

N. 2.

Sortilegium et Magia.

§. 719. Sortilegii vox stricte sumpta superstitionem significat, qua quis ignotas res per sor-

---

(1) Anon. Auct. penes Renazzi *lib.* 4. *cap.* 7. §. 2. *n.* 1.

(2) Renazzi *lib.* 4. *cap.* 7. §. 3.

(3) Carrard *De la jurisprud. crimin. vol.* 1. *pag.* 99. Pastoret *Les loix penal. vol.* 2. *pag.* 46.

(4) L. 19. Dec. 1576. quam memorat Cl. Poggi *lib.* 2. *cap.* 9. §. 46.

(5) *Auth. collat.* 1. *tit.* 6. *Cod. lib.* 1. *tit.* 3. *l. quemquam.*

tes divinari præsumit (1), quod sortilegium *divinatorium* dicitur: latissime sumpta *maleficum* atque *amatorium* sortilegium complectitur, ac omnes superstitionum genus, quibus augures, haruspices, vates, harioli, mathematici, malefici, somniorum conjectores, incantatores (2) circulatores, circumforanei (3) aut futura divinando, aut verba arcana ad fruges servandas tempestatesque amovendas proferendo, aut ficta pharmaca ad hominum, pecudumque medelam vendendo, aut alio quocumque imposturæ genere imperitæ plebeculæ otia fovent, animum miserrimis superstitionibus implent, ac loculos sordido quæstu vacuefaciunt exhauriunt (4).

§. 720. Magiæ vox apud Persas sapientiam significavit, atque utplurimum quæ ad elementorum et rerum naturalium cognitionem referebatur (5). Postea magiæ nomen I. aut in vere sa-

---

(1) Nec per talos aut tesseras tantum Cic. *De divinat. lib.* 2. *cap.* 41. sed et per librorum reclusionem, eorumque ita interrogantibus responsa. Gregor. Turon. *Hist. lib.* 5. *cap.* 14. Le Brun. *Histoire critique des superstitions lib.* 5. *cap.* 1.

(2) Vocum explicationem erudite ac patienter exhibet Jac. Gothofr. *coment. in Cod. Theod. lib.* 9. *tit.* 16. *pag.* 124.

(3) Circulatores sunt qui serpentes circumferunt *Dig. lib.* 47. *tit.* 11. *leg. ult.* circumforanei qui nulla medendi arte instructi pharmaca, characteres, susurros vendunt. Matth. *ad lib.* 47. *Dig. tit.* 5. *cap.* 4. *n.* 4. Hujus furfuris homines in tres classes distinguit Paoletti *Inst. crim. theor. pract. vol.* 1. *tit.* 2. *pag.* 59. qui consulendus.

(4) Cremani *lib.* 2. *cap.* 2. *art.* 4. §. 1.

(5) Strab. *lib.* 1. *et* 15. Magi vero sacerdotia exer-

pientes probi et accusationis causa a sycophantis atque invidis hominibus propositum fuit (1), II. aut ab impostoribus, stultis, melancholicis usurpatum ut cacodæmonis ope et consilio, pactis, concubitu omnia se consecuturos aut credulis aut sibi persuaderent (2).

§. 721. Nostris vero temporibus, quibus æterna Dei filia philosophia mentes hominum, et ingenia sua luce pervasit (3), sortilegii, incantationum, magiæ, et lamiarum congressuum voces a foro penitus exularunt (4).

§. 722. Contra sortilegos, magos, divinatores aliosque hujus generis stultissimos homines, variæ ac gravissimæ pœnæ a Romanis legibus constitutæ fuere (5).

---

cebant, eorumque maxima in rebus publicis potestas fuit. Gibbon *History of the decline and full of Roman Empire ch.* 8.

(1) Naudæus *De erud. fals. de mag. suspect.* Apul. *in Apolog.*

(2) Boehmer *Elem. Jurispr. crim. sect.* 2. *cap.* 4. §. 57. Risu excipienda sunt quæ circa dæmoniacos congressus atque concubitus graviter notat Carpzov. *Pract. rer. crim. part.* 1. *quæst.* 49. *n.* 70. Dæmoniaci conventus, quem *Sabath* demonographi vocant, inter quos *Loyer*, *Majoles*, *Lancre*, et *Del Rio* eminent, descriptionem sane lepidam exhibet Pitaval *Caus. celebr. vol.* 6. *p.* 138.

(3) Chauffepié *Diction.* etc. *art.* Beker. *not. N.* Maffei *L'arte magica dileguata* et *magia annichilata.*

(4) Quoad Galliam et Angliam conf. Filangieri *Scienza della legisl. lib.* 3. *part.* 2. *cap.* 55. Quoad nos Paoletti *lib.* 1. *tit.* 2. *pag.* 64.

(5) Illas ex ordine erudite recensuit Cl. Jac. Gothofred. *in coment. ad Cod. Theodos. loc. supra cit.*

§. 723. Si quando eveniat ut sortilegium denuncietur distinguendum an ad alterum fallendum decipiendum ac pecunia vel rebus suis spoliandum adhibitum sit nec ne. Si lucrifaciendi causa admissum sortilegium appareat subdistinguendum: an sortilegium cum sacrilegio, nempe cum sacrorum abusu, conjunctum sit an non (1). Si cum sortilegio sacrilegium concurrat, finis non effectus actionis spectandus est (§. 731.) ac delictum tamquam furtum sacrilegum, de quo alibi, coercendum (2): sin minus tamquam stellionatus ac impostura plectendum (3). Ast si ab infelici ac stulta credulitate sortilegium processerit, quin homo aut occisus aut læsus fuerit, recte animadversum est non pœnis sed xenodochio potius hujusmodi deliramenta medenda esse (4). Si vero vel amatorium vel abortionis poculum porrectum sit, ita ut homo perierit aut quodcumque grave damnum emerserit, quoniam mali exempli res est, in eos, qui fecerint, legum severitate animadvertendum (5).

N. 3.

De Sepulcro violato.

§. 724. Ubi corpus, ossave hominis condita

---

(1) Ex. gr. si Hostia rite consecrata sortilegus usus fuerit. De Amen. *De delictis et pœnis part.* 3. *tit.* 8. §. 6. *n.* 12.

(2) Poggi *lib.* 2. *cap.* 8. §. 42.

(3) Poggi *loc. cit.* §. 40.

(4) Poggi *loc. cit.* §. 39.

(5) *Dig. lib.* 48. *tit.* 8. *leg.* 3. §. 2. *et tit.* 19. *leg.* 38. §. 5. Paoletti *lib.* 1. *tit.* 2. *pag.* 62.

sunt sepulcrum est (1). Jure Romano corporis in monumentum illatio necessaria erat ut locus religiosus fieret (2). Jure vero canonico locus aliquis, solemni accedente consecratione, sepulturæ destinatus non modo religiosus sed sacer fit quamvis in eo hominis cadaver nondum sepultum fuerit (3).

§. 725. Sepulcrum violat qui illud dejicit, diruit, terram, cespites evellit, saxa, columnas aufert, cadavera amovet, spoliat, vexat, ossa extrahit, impia audacia ad busta defunctorum vadit, quominus quis funeretur facit (4).

§. 726. Romanæ leges, quæ de violato sepulcro latæ fuere, tria sibi objecta proposuerunt. I. Ne religio violaretur II. Ne artium monumenta dejicierentur III. Ne publica salus aliquid ex sepulcro detrimenti caperet, quod ad politiam pertinet.

§. 727. I. Sepulcri violati crimen non eamdem semper faciendi causam agnoscit. Id etenim fit I. aut animo male in religionem publicam affecto, quo casu de turbatorum sacrorum crimine agitur (5): II. aut sortilegii causa, et tunc hujusce delicti titulus locum sibi vindicat,

---

(1) *Dig. lib.* 11. *tit.* 7. *leg.* 2. §. *sepulcrum.*

(2) *Dig. eod. tit. leg.* 2. §. *monumentum leg.* 6. §. *ult. leg.* 42.

(3) Conf. *Decret. tit. de sepulcr.* Cremani *lib.* 2. *cap.* 2. *art.* 5. §. 8.

(4) Matth. *ad lib.* 47. *Dig. tit.* 6. *cap.* 1. *n.* 2. 3.

(5) Non ita tamen ut plena legum severitate animadvertatur nisi sanctorum corpora violata fuerint. Poggi *lib.* 2. *cap.* 4. §. 23. *in fin.*

quod sæpius accidit (1): III. aut injuriandi animo, quo intercedente, non actione violati sepulcri sed injuriarum agi oportet (2): IV. aut ut in cadaveribus nefanda expleatur libido, quod monstruosæ veneris crimen est (3): V. aut denique lucrifaciendi gratia, quod proprie furtum præsefert (4).

§. 728. II. Quoniam monumentum esse potest sine sepulcro (§. 744.) illud violant I. qui de monumentis columnas vel marmora abstulerint: II. qui coquendæ calcis gratia lapides dejecerint: III. qui ornatum minuerint: IV. qui posita in suis fundis monumenta calcis coctoribus vendiderint (5).

§. 729. Sepulcri violati pœna jure romano in honestiores metalli erat: humiliores ultimo supplicio afficiebantur (6). Dein mitius in sepulcri violatores ex interpetrum sententia agi cæpit (7).

---

(1) Cremani *lib.* 2. *cap.* 2. *art.* 5. §. 1.

(2) *Dig. lib.* 4. *tit.* 1. *leg.* 27. Matth. *ad lib.* 47. *Dig. loc. cit. cap.* 1. *n.* 3.

(3) Decian. *lib.* 6. *cap.* 42. *n.* 24. Poggi *loc. cit.* §. 20.

(4) Boehmer *ad Carpzov. quæst.* 83. *obs.* 4. qui tamen contendit non facile de *qualificato* furto agi posse nisi de cœmeteriis agatur in civitate et prope Ecclesiam positis: ast de hac re alibi dicendum.

(5) *Cod. Theod. lib.* 9. *tit.* 17. *leg.* 1. 2. 3. ibique Jacob. Gothofred. *in suo coment.* Hæc ad ea referuntur tempora quibus ignorantia multitudinis vel religionis redundantis æstu, vel vandalico instinctu in antiqua monumenta irrumpebat. Dignus est qui consulatur Cl. Gibbon *History of the decline and full of the Rom. Emp. chapt. ult.*

(6) Matth. *ad lib.* 47. *Dig. tit.* 5. *cap.* 2. *n.* 1.

(7) Voet *In pandect. lib.* 47. *tit.* 12. *n.* 3.

N. 4.

Perjurium.

§. 830. Perjurium est *dolosa jurisjurandi violatio* (1). Quoniam autem jusjurandum (§. 544.) vel *promissorium* vel *assertorium* est (2) consequitur, perjurium aut ad ea, quæ promittuntur si non serventur, aut ad ea, quæ adseruntur si falsa sint, referri. Ea vero, quæ adseruntur, vel facta respiciunt, ex quibus obligationes adserentis ortæ sunt, circa quæ adserens ipse tamquam *litigator* juravit (3), vel facta, ex quibus alienæ natæ sunt obligationes, circa quæ adserens juravit uti *testis*. Quapropter perjurium I. aut ea respicit, quæ a contrahentibus juramento in contractibus vel promittuntur vel adseruntur, II. aut ea, quæ in judicio civili a reo vel actore aut affirmantur aut negantur (4), III. aut ea, quæ in judicio aut privato aut publico juramento a testibus proferuntur.

§. 731. In perjurii crimine æstimando, atque imputando fori interni regulæ ab his, quæ ad forum externum pertinent, sunt sedulo secernendæ (5). Ad forum internum quod spectat, pejerans *sacrilego* similis (6) facto saltem Deum

---

(1) *Cod. lib.* 4. *tit.* 1. *leg.* 12.

(2) Cremani *lib.* 2. *c.* 2. *art.* 3. §. 2.

(3) Cremani *loc. cit.*

(4) Alibi animadversum est neutri ligatorum in publico judicio jusjurandum deferri (§. 551.).

(5) De Simoni *Delitti di mero affetto par.* 2. *cap.* 2. §. 3.

(6) Paoletti *Inst. crimin. lib.* 1. *tit.* 4.

negat esse et arcanorum scrutatorem, et scelerum vindicem (1). Ad forum externum quod attinet, quoniam perjurium sacrilegii politicos characteres haud præsefert, tum tantum civilibus pœnis vindicandum erit cum damnum alicui attulit vel allaturum fuerit (2): ideoque rectius perjurium definitur *jurisjurandi solemniter, et ad normam legis præstiti dolosa violatio ad alterum decipiendum vel lædendum adhibita* (3).

§. 732. Hinc, si jurisjurandi contempta religio sine aliena jactura acciderit satis, Deum ultorem habet (4). Nec cujuscumque jurisjurandi violatio perjurium constituit, sed ejus tantum quod solemni ritu a lege præstituto delatum fuerit (5).

§. 733. Præterea ut recte statuatur an perjurium alteri obfuerit nec ne distinguendum I. Si de juramento promissorio agatur, aut ea intercessit conventio, cui lex civilis haud adsistit, ideoque juramentum tamquam obligationis accessorium cum obligatione ipsa corruit (6): aut

---

(1) Lampredi *Jur. Pub. Univ. Theor. part.* 1. *cap.* 9. §. 9.

(2) De Simoni *loc. cit.*

(3) De Simoni *loc. cit.* Farinac. *R.* 160. §. *detestatio.* Melchiori *Trattato dello spergiuro e della falsità cap.* 1. §. 17.

(4) *Cod. lib.* 4. *tit.* 1. *leg.* 2. De Simoni *loc. cit.* §. 3.

(5) Melchiori *Trattato dello spergiuro e della falsità cap.* 1. §. 10. 11.

(6) Bartol. *in leg.* 2. *n.* 10. *Cod. de rescindend. vendit.* §. *quæro* Soccin. Jun. *conf.* 24. *n.* 47. Cirocc.

conventio ea fuit cui leges adsistunt, et cum promissarius civiliter in promittentem agere possit, nullum damnum adest, ideoque nulla constituenda pœna est (1) II. Si juramentum assertorium in contractibus ex contrahentis parte intercesserit, illius violatio tum tantum coercenda est cum falsa assertio stellionatus crimen præseferat (2) III. Si juramentum sit, quod uter ex litigatoribus in judicio civili solemniter assumserit, quoniam illius violatio ob solum probationum defectum delitescere potest, si probationes emerserint, quæ illam detegunt, hujusmodi probationum auxilio litigator a perjurio læsus jus suum vindicare civiliter in adversarium potest adeout, cum pœna temere litigantium succumbentem maneat, aut nullo modo aut mitius in crimen illud animadvertendum videtur (3) IV.

---

discept. 45. *n.* 8. 9. Costantin. *Vot. decis.* 266. *n.* 8. Manent. *decis.* 7. *n.* 18. *et decis.* 46. *n.* 18. qui inter juramentum *implicitum* et *solemne expressum* distinguunt. Gonzalez *In select. coment. in decret. tit.* 24. *cap.* 28.

(1) Hinc juramenti promissorii violatio nulla lege coercetur. Poggi *lib.* 2. *cap.* 2. §. 13.

(2) *Dig. lib.* 47. *tit.* 20. *leg.* 4. – *si sua pignora esse quis in instrumento juravit, crimen stellionatus sit, et ideo ad tempus exulet* – .

(3) Conf. Clar. §. *perjurium n.* 11. *et* §. *fin. quæst.* 43. *n.* 10. Menoch. *De abritrar. cas.* 319. *n.* 29. Farinac. *quæst.* 160. *n.* 217. 249. De litigatoris perjurio in judicio civili nulla sanctio occurrit in legib. 30. *nov.* 1786. et 30. *aug.* 1795. Jure Romano ea fuit in judicio civili jurisjurandi vis ut illud numqnam rescindi potuerit nec instrumentorum noviter repertorum nec perjurii prætextu. *Dig. lib.* 12. *tit.* 2. *leg.* 5. §. 2. *leg.*

Si vero de jurejurando agatur quod in judicio vel privato vel publico a teste solemniter præstitum sit, illius violatio cum falso testimonio confunditur ad damnum quod attinet, atque idcirco pœnis in falsos testes a lege sancitis coerceri debet, de quibus suo loco dicendum erit (1).

§. 734. Quibus adhibitis distinctionibus, nostra quidem sententia, antinomiæ fere omnes conciliantur, quæ ex romanis legibus circa perjurii pœnas undique scatent (2).

§. 735. Nulla olim apud Romanos in perjurium constituta civilis pœna erat. Solus Censor pejerantes notabat infamia, eorumque expiatio Pontificibus committebatur (3). Sub Imperatoribus fustium cæsio in eos sancita fuit, qui per genium Principis pejerassent: postremo exilio, infamia, privatione dignitatis in hoc crimen generaliter animadversum est (4).

TIT. II.

DE DELICTIS CONTRA JUS GENTIUM.

§. 736. Jus gentium est principiorum regularumque systema a naturali ratione descendens,

---

28. *in fin. leg.* 39. *et lib.* 4. *tit.* 3. *leg.* 21. 22. *Cod. lib.* 4. *tit.* 1. *leg.* 1. 2. Quo juris posito principio, frustra de litigatoris perjurio quæritur.

(1) *L.* 30. *Aug.* 1795. *art.* 2.

(2) Conf. Ant. Math. *ad lib.* 47. *Dig. tit.* 16. *cap.* 1. *n.* 1. ibique Nani in suis animadversionibus.

(3) Aul. Gell. *Noct. actic. lib.* 3. *cap.* 18. Valer. Maxim. *lib.* 2. *cap.* 9.

(4) Cremani *lib.* 2. *cap.* 2. *art.* 3. §. 6.

ac cultiorum nationum consensu firmatum, quo nationes ipsæ veluti personæ morales in naturali statu viventes habentur, jubenturque ut naturalis unicuique libertas servetur, mutuaque invicem præstentur officia quæ homini ab homine jure naturæ præstanda sunt (1).

§. 737. Jus gentium lædunt I. Salviconductus violatio (2), II. Legatorum exterarum gentium, qui apud nos sunt, jurium infractio (3), III. Piratica (4), IV. Publicæ auctoritatis in exteras gentes abusus (5), V. Violatio fœderis ex privatorum parte, quod nostra civitas cum extera civitate solemniter inierit (6).

§. 738. Nemo est qui non videat quam gravia istiusmodi scelera sint: ex his namque externa bella, ac plenæ periculi simultates in Principem et patriam facile excitantur, publicaque securitas in maximum deducitur discrimen (7).

---

(1) Blackstone *Coment. on the laws of England. B.* 4. *chapt* 5. Cremani *lib.* 2. *cap.* 3. *art.* 1. §. 18.

(2) Blackstone *loc. cit.* Cremani *loc. cit.* §. 21. Inepte Bartolus ejusque sectatores per populi Romani securitatem de qua Ulp. *in leg.* 1. *Dig. lib.* 48. *tit.* 4. salvum conductum intellexere. Duaren. *lib.* 2. *Disp. anniv.* 22. Matth. *ad lib.* 48. *Dig. tit.* 2. *cap.* 2. *n.* 2.

(3) Blackstone *loc. cit.*

(4) Blackstone *loc. supr. cit.*

(5) Filangieri *Scienza della legislazione lib.* 3. *part.* 2. *cap.* 49.

(6) Filangieri *loc. supr. citat.*

(7) Cremani *dict. lib.* 2. *cap.* 3. *art.* 1. §. 18. Filangieri *Scienza della legislazione dict. cap.* 49. Carrard. *De la jurisprud. crimin. vol.* 1. *pag.* 295.

Quapropter perduellioni proxima talia facinora utplurimum sunt (1).

§. 739. Horum criminum coercitio ad supremum reipublicæ regimen, cui summus Imperans præest, proprie pertinet, atque apud ipsos Anglos executricis potestatis nomine hujusmodi coercitio extra ordinem exercetur (2). Attamen nihil vetat, ac civilis libertatis exposcunt regulæ, ut in hæc crimina leges certam pœnam constituant, certo ordine a magistratibus decernendam atque applicandam (3).

TIT. III.

DE DELICTIS CONTRA TRANQUILLITATEM PUBLICAM

§. 740. Nil a sociali ordine abnormius quam privatarum virium exercitium cum leges adsint, quæ unicuique jus suum sartum tectumque tueantur, quarumque præsidio nil civium securitati atque felicitati deesse poterit. Hinc in bene constituta civitate omnia prohibenda sunt, quæ quamvis vel ad summum Imperium subvertendum vel ad publicam religionem submovendam directim haud pergant, attamen ex legis status incommoda in societatem invehunt, paca-

---

(1) Jure Romano bellum temere suscipientes in legem Juliam majestatis incidunt *Dig. lib.* 48. *tit.* 4. *leg.* 3.

(2) Si tamen piraticam excipias, quæ ex Stat. XXVIII. Enrici VIII. servato legum ordine coercetur, Blackstone *loc. cit.*

(3) Filangieri *loc. supr. cit.*

totumque ac moratiorum civium animos longe lateque commovent turbant perterrefaciunt. Huc pertinent I. Vis publica et privata, ejusque variæ species II. Scopelismus III. Incendium IV. Fluminum aggerum demolitio (1).

§. I.

De vi publica, et privata.

§. 741. Vis est *majoris rei impetus, qui repelli non potest* (2): eaque in *divinam* et *humanam* dispescitur (3). Humanam vis aut *hostium* aut *civium* est (4): civium vel *injusta* vel *justa*, ea scilicet quæ in vim vi repellendo consistit (5): injusta aut *publica* aut *privata* est (6).

§. 742. Quibus autem speciebus, quave ratione aut publicæ aut privatæ vis nomen ex romano jure imponeretur, magna est inter inter-

---

(1) Blackstonius in sua criminum classatione multa ad hunc titulum refert, quæ nos ad crimina contra justitiam publicam retulimus. Conf. Blackst. *Coment on the laws of England. B. 4. chapt* 11.

(2) Paul. *lib.* 5. *Sentent. tit.* 7. *n.* 7. *Dig. lib.* 4. *tit.* 2. *leg.* 2.

(3) Vis divina est fatum, tempestas, fulmen, terræ motus, uredo. Ant. Matth. *ad lib.* 48. *Dig. tit.* 4. *cap.* 1. *n.* 1.

(4) Matth. *loc. cit.*

(5) Paul. *in leg.* 45. *Dig. lib.* 9. *tit.* 2. – vim enim vi defendere omnes leges, omniaque jura permittunt –.

(6) Renazzi *Elem. jurispr. crimin. lib.* 4. *part.* 3. *cap.* 4. §. 2.

pretes decertatio (1). Vim publicam vel privatam jure romano definiendi difficultas ex multiplicitate, ac varietate legum fortasse exoritur, quæ pro temporum, morum, rerumque publicarum vicissitudine latæ fuerunt (2).

§. 743. Vis publica nobis est delicti titulus, qui ea omnia complectitur, quæ non adversus certam personam vel certam familiam tantum sed contra multorum civium tranquillitatem committuntur, ejusque species vel *innominatæ* vel *nominatæ* sunt: innominatæ ad præsentem titulum pertinent: nominatæ in sequentibus titulis exponentur (3). Vis privata circumstantia, quæ criminis a privato in privatum admissi imputationem auget (4). Lex Julia vim physicam non moralem (§. 170.) complectitur (5).

---

(1) Conf. Cujac. *ad Cod. tit. ad leg. Juliam de vi publica et privata et in paratill. ad Pandect. lib.* 48. *tit.* 6. *et* 7. Gravina *De legib. cap.* 91. Jacobum Gothofred. *ad leg.* 152. *Dig. de regulis juris.* Cremani *lib.* 2. *cap.* 4. *art.* 11. qui sibi contrarias interpretum opiniones indicat.

(2) Leges *Pompeja*, *Clodia*, et *Pedia* ad civiles motus pro re nata compescendos latæ fuere. Gravina *De orig. jur. lib.* 2. *cap.* 91. Temporis progressu lex *Plautia* legesque *Juliæ* sub. Julio Cæsare et Augusto obtinuerunt. Poggi *lib.* 2. *cap.* 11. §. 60.

(3) Conc. Cod. Leopold. qui magistratus in privatos, ac privatorum in magistratus delicta ad publicæ violentiæ species refert. *art.* 70. 74.

(4) Boehmerus crimen a qualitate haud distinguit ac vim publicam definit - crimen quo securitas publica per atrociorem violentiam injustam læditur - *Elem. jurispr. crimin. sect.* 2. *cap.* 7. §. 98. Paolettus crimina fere omnia, iis exceptis quæ contra summum imperium et publicam religionem admittuntur, ad vim privatam refert *Instit. crimin. vol.* 2.

(5) Cremani *lib.* 2. *cap.* 4. *art.* 11. §. 2.

§. 744. Vis publicæ rei fiunt qui ut aliquid audacter moliantur, coactis hominibus, turbam commovent, quæ vel ex multitudine vel ex armis atrocitatem sumit (1): qui arma tela domi suæ, agrove in villa coegerint nisi in usum venationis vel itineris id fecerint (2): qui telo dolo malo in concione fuerint aut ubi judicium publice exercetur (3): qui seditiones tumultus concitaverint (4): qui tumultuosas petitiones Principi porrigunt: eæ namque utplurimum rebellionum præludia sunt (5).

§. 745. Antiquo jure Romano vis publicæ pœna aquæ et ignis interdictio fuit (6). Posteriori jure in interdictionis locum deportatio successit, et extremum quoque supplicium pro personarum qualitate et admissi gravitate (7). Vis autem privatæ pœna relegatio erat, ac tertiæ bonorum partis publicatio cum infamia conjuncta (8).

§. 746. Jure patrio atrociores vis publicæ species opere publico coercentur (9). Quia vero lex de violentiis loquitur, quæ contra summi impe-

---

(1) Poggi *lib.* 2. *cap.* 11. §. 62. armorum nomine non scuta tantum gladii galeæ significantur sed et fustes et lapides *Dig. lib.* 50. *tit.* 17. *leg.* 16.

(2) Ant. Matth. *ad lib. Dig.* 48. *tit.* 4. *cap.* 1. *n.* 3. 4.

(3) Matth. *loc. cit.*

(4) Poggi *loc. cit.* §. 61.

(5) Blackstone *loc. supr. cit.*

(6) *Dig. lib.* 48. *tit.* 6. *leg.* 10.

(7) *Cod. lib.* 6. *tit.* 16. *leg.* 8. Renazzi *lib.* 4. *part.* 3 *cap.* 4. §. 4.

(8) *Cod. lib.* 9. *tit.* 3. *leg.* 2.

(9) Cod. Leopold. *art.* 62.

rii vel securitatem vel libertatem vel tranquillitatem admittuntur, ad eas tantum allata pœna arctanda videtur. Si de vi publica agatur, quæ non eo respicit ut reipublicæ subvertatur ordo, pro qualitate, et circumstantiis admissi extra ordinem coerceri solet (1).

§. II.

Scopelismus.

§. 747. Non ea tantum, quæ physice et palam in plurimos vi (§. 744.), sed et quæ morali, metu scilicet in singulos secreto injecto, qui in universos recidit, publicam tranquillitatem perturbant, legumque animadversionem merentur (2). Hunc politicum characterem Scopelismus, ac crimina Scopelismo affinia præseferunt.

§. 748. Allatæ sibi injuriæ sensus Arabibus semper vividissimus fuit, adeoque profunda diuturna locumque atque occasionem expectans vindictæ cupiditas (3). Scopelismus, teste Ulpiano, Arabiæ delictum fuit, quo inimicus in inimici prædio lapides ponebat indicio futuros, eum, qui agrum coluisset, malo letho periturum insidiis eorum, qui lapides posuerant (4).

---

(1) Clar. §. *fin. quæst.* 83. *n.* 4.

(2) Blackstone *loc. cit. chapt.* 11.

(3) Niebuhr *Description de l' Arabie vol.* 1. *pag.* 41. 45. Koran *sur.* 2. *et sur.* 17. cum Sale *Animadversion.*

(4) *Dig. lib.* 47. *tit.* 11. *leg.* 9. Matth. *ad dict. lib. tit.* 5. *cap.* 2. *n.* 1.

§. 749. Hujus delicti gravitas non in eo consistit quod agricolturæ impedimento sit (1), sed in eo quod propriæ securitatis opinionem civibus adimit. Hinc scopelismo affinia sunt anonimæ literæ, nec non quæcumque secretæ denuciationes, quibus improbi homines pericula, vulnera, ferrum, flammam, cædes, aliave mala vel vindictæ vel cujuscumque rei assequendæ gratia interminantur: terrores, quos coloni a prædiorum dominis expulsi quandoque incutiunt ne alii prædia colant, fructusque percipiant (2): terrores denique, quibus sycophantæ, phanatici, demagogi multitudinis mentes commovent, exaltant fictorum portentorum, divinationum, falsarumque prophetiarum commentis (3). Cætera, quæ ex interpretum sententia huc referri solent, ad crimina contra justitiam publicam commodius referuntur (4).

§. 750. Hoc crimen, quod perperam aliquibus conatus species videtur (5), jure romano

---

(1) Voet *ad Pandect. lib.* 47. *tit.* 11. *n.* 5. Renazzi *lib.* 1. *cap.* 4. §. 4.

(2) Matth. *loc. cit. n.* 5. Cremani *lib.* 2. *cap.* 4. *art.* 9. §. 3. De Angelis *De delictis part.* 1. *cap.* 110.

(3) Blackstone *loc. cit. B.* 4. *ch.* 11. Neminem fugit quam multa ac gravia in publicam tranquillitatem sæpius admiserint *Millenarii*. Bettinelli *Risorgim. d' Italia dopo il* 1000. Bayle *Dict. crit. vol.* 2. *pag.* 204. 205. *vol.* 3. *pag.* 325.

(4) Conf. quæ in §. 825. adnotaturi sumus.

(5) Riminald. *in leg. Imperium de jurisd. n.* 161. Renazzi *lib.* 1. *loc. cit.*

extraordinarium fuit, illudque Præsides graviter usque ad pœnam capitis coercebant (1).

§. III.

De incendiariis.

§. 751. Si metus quamvis in singulos injectus maximus tamen in universos rediens gravissimum in publicam tranquillitatem crimen est (§. 747.) nemo ambiget, metum hunc ab incendiis vel maxime excitari, quibus fieri potest ut totæ urbes, basilicæ etiam, atque Dei templa deflagrent, sitque Vejos migrandum Quiritibus (2).

§. 752. Incendiarius dicitur qui *dolo malo incendium excitaverit: sive per se sive per alios id fieri curaverit* (3). Ut criminis imputatio recte statuatur plura consideranda occurrunt, scilicet I. Damnum II. Intentio III. Conatus.

---

(1) Matth. *loc. cit. n.* 3. Huc proprie pertinet lex 15. Jan. 1744. quæ aliam memorat an. 1637. in eos lata, qui literis nunciis minis ad pecunias vel res consequendas cives perterrefaciunt. Hisce legibus furca et membrorum discerptio sanciebantur, in quarum locum ex præscripto *l.* 30. *nov.* 1786. *art.* 118. operis publici pœna suffecta est, easque Paolettus ad jus sibi propria auctoritate redditum transfert. *Inst. crim. vol.* 1. *pag.* 116.

(2) Ita Matth. *ad Dig. lib.* 47. *tit.* 2. *cap.* 2. *n.* 3. qui incendium et ad damnum injuria datum et ad legem Corneliam de sicariis refert. Illud inter crimina, quæ contra *salubritatem publicam* committuntur, lepide quidem enumerat Filangier. *lib.* 3. *part.* 2. *cap.* 47. *tit.* 3.

(3) Cremani *lib.* 2. *cap.* 5. *art.* 2. §. 2.

§. 753. I. Quoad damnum incendio allatum illud in *magnum* et *parvum* dispescitur (1). Magnitudo aut parvitas incendii non ex damno *actuali*, eo nempe quod exortum est: sed a *potentiali* eo scilicet, quod obventurum fuerat, nisi forte fortuna aut aliena diligentia aliter accidisset, ideoque a majori vel minori incendii periculo est dimetienda (2). Qui casam vel villam in solitario loco incenderit mitius punitur quam qui in urbe vel oppido flammas concitaverit (3).

§. 754. II. Quoad intentionem agentis incendium aut *dolosum* aut *culposum* aut *casuale* est: dolosum vero vel *simplex* vel *qualificatum*; illud ex sola ira vel vindicta in certam personam suscipitur: hoc ad eos pertinet, qui singolari improbitate seditionis, rapinæ, cædis, furtive faciendi causa incendia suscitant (4). Negant interpretes, incendium dolosum simplex umquam ex dolo ex impetu (§. 93.) exoriri posse, atque idcirco hanc minuendæ imputationis causam prorsus rejiciunt (5).

---

(1) Cremani *lib.* 2. *cap.* 5. *art.* 2. §. 4.
(2) Boehmer *ad Carpzov. quæst.* 38. *obs.* 1.
(3) *Dig. lib.* 47. *tit.* 9. *leg. ult. lib.* 48. *tit.* 19. *leg.* 28. §. 12.
(4) Carpzov. *loc. cit. n.* 18.
(5) Carpzov. *dict. quæst.* 38. *n.* 60. adducitur *Lex* 28. §. 12. *tit.* 19. *lib.* 48. cujus paragraphi rubrica habet - dolo ex proposito - : ipsa lex autem de incendio qualificato loqui videtur. Attamen criminis immanitas atque periculum id suadere potuit ut iræ pretextus pœnam haud minueret. Quandoquidem homicidium facilius quam incendium a vere irato committi potest.

§. 755. Incendium culposum, si de culpa lata agatur, extra ordinem coercetur (1). Si culpa vel levis vel levissima intercesserit, Aquiliæ legis actione instituta, civiliter agendum est (2): idque obtinet sive committendo sive omittendo negligens quis fuerit (3).

§. 756. III. Conatus species inter omnes gravissima ea est, quæ semel admissa ab attentantis voluntate amplius pendere nequit, ideoque nec ab attentante ipso suspendi (§. 207.). Hinc conatus in incendio, si ad actum proximum perductus sit, arserintque jam ædes, tametsi vicinorum vigilantia flammas extinxerit, gravissima si non eadem, qua consumatum incendium, pœna plectendus est (4).

§. 757. Jure romano incendii vel qualificati vel simplicis rei plerumque vivi exurebantur vel capite puniebantur (5). Si quis acervum frumenti juxta domum positum combussisset vinctus verberatusque igne necabatur (6). In Hetruria nostra qui dolose incendium excitaverint ad opus

---

(1) Matth. *ad lib.* 48. *Dig. tit.* 5. *cap.* 6. *n.* 4. Incendii culposi cognitio ad Præfectum vigilum pertinebat *Dig. lib.* 1. *tit.* 43. *leg.* 3. *leg.* 30. *Nov.* 1786. *art.* 86.

(2) Matth. *loc. cit. l.* 30. *Nov.* 1786. *art. cit.*

(3) Matth. *loc. cit. n*, 4.

(4) Conf. Ant. Matth. *loc. cit.* apud nos nec in incendio conatus perfecto consumatoque crimini exæquatur *l.* 30. *Nov.* 1786.

(5) Matth. *loc. cit. n.* 2. Paul. in lib. singulari *De pœnis paganorum tit. de abigeis.* Nani *ad Matth. loc. cit.*

(6) *Dig. lib.* 48. *tit.* 9. *leg* .9. *leg.* 16. §. *pen. leg.* 28. §. *capitalium tit.* 19. *l.* 10.

publicum ad tempus vel in perpetuum pro majori vel minori incendii periculo damnantur (1).

§. IV.

De fluminum aggeribus non rumpendis.

§. 758. Si incendiarii, inquit Mathæus, capite puniuntur propter periculum et quod flammis, aut ruentium tectorum fragore facile etiam homines opprimi possunt, cur non et aggerum perfossores capite puniantur, cum vis fluminis in agros immissi hominesque pecudesque ac villas trahere soleat? (2)

§. 759. Fluentium aquarum intra aggeres coercitio maximi momenti victoria est, quam supra exlegem naturam homines consequuti sunt (3), ac maximopere reipublicæ interest ut hujus victoriæ fructus leges servent atque defendant. Romanæ leges Tyberim, quamvis sæpe illius redundantes aquæ urbis monumenta dejecerint (4), ab hominum malitia aut incuria nullis sanctionibus protexere, quæ omnes ad aquam Niloticam, Nilique aggeres, ac commata defendenda con-

(1) *L.* 30. *nov.* 1786. *art.* 85.

(2) *Ad lib.* 47. *Dig. tit.* 5. *cap.* 3. *n.* 4. Hujus funestissimæ rei exemplum, quamvis id casu magis quam dolo acciderit, ob oculos habuit Pisanus ager *ann.* 1805.

(3) Buffon *Epoques de la nature pag.* 212. 561. *in* 4.

(4) Horat. *Od. lib.* 1. *od.* 2. Oros. *Historiar. lib.* 4. *cap.* 11. Svetonius *in Aug. c.* 30.

stitutæ fuerunt (1), eoquod Ægyptus horreum populi romani fuit, multumque interfuit benevolum amnem aggeribus coerceri ne aquæ antequam constitutum incrementum excessissent effunderentur (2).

§. 760. Triplici ratione in aquam Niloticam ex Ulpiani sententia, delinqui potuit (3): I. aut aggeres dolo malo nec ad aliquem privatum usum rumpebantur, aut dissolvebantur, quod publicum crimen erat (4): II. aut quis ad usum suum arbores sycaminos vel sycamoros, quibus aggeres colligabantur exciderat: III. aut quis non expectato justi Nilotici incrementi initio ad suos agros irrigandos furtivis meatibus commata, diacopos, incilia faciebat (5), quod crimen extraordinarium fuit.

§. 761. Quamvis fluminum aggerum dolosa demolitio crimen rarissimum, et pene inopinabile sit: et quia criminis haud frequens occasio, et quia crimen et occulte et celeriter peragere difficillimum, et quia tandem crimen ipsum a scelesto homine in certam personam dirigi nequa-

---

(1) *Dig. lib.* 47. *tit.* 11. *leg. pen. Cod. Just. lib.* 9. *tit.* 38. *leg. un. Cod. Theodos. lib.* 9. *tit.* 32.

(2) Matth. *loc. cit. n.* 1. ac præ cæteris eruditissimus Jacob. Gothofr. *in suo coment. ad Cod. Teod. dict. tit.*

(3) *Dict. leg. pen. tit.* 11. *lib.* 47. *Dig.*

(4) Fuit et quoddam officii seu ministerii genus, ut undequaque aggeres bene septi essent, quod vicani possessores præstabant, qui *logograhi commatum* dicebantur. Gothofr. *loc. cit.*

(5) Conf. Jacob. Gothofred. *coment. ad Cod. Theod. lib.* 9. *tit.* 32. *l. un. vol.* 3. *pag.* 245. *col.* 2.

quam potest, attamen si quando acciderit, et ob identitatem rationis, maximumque rei momentum ab interpretibus recte statutum est, constitutiones de Nili aggeribus non rumpendis ad alia flumina posse produci, adhibita tamen inter totius provinciæ, paucorumque possessorum aggeres distinctione (1).

§. 762. In rumpentes aggeres Nili vel metallo vel alio opere publico pro personarum conditione et admissi gravitate animadversum fuit (2). Ex Honorii et Theodosii constitutione rumpentes aggeres flammis consumebantur (3).

TIT. IV.

DE DELICTIS CONTRA JUSTITIAM PUBLICAM

§. 763. Frustra tranquillitati publicæ consuluissent leges, actiones omnes prohibendo, quæ ab agrestibus, violentisque pathematibus proficiscentes effrænam exlegis status indolem præseferunt, nisi hisce pathematibus in socialem subjectionem irrumpendi prætextus omnes undequaque ademissent. Oportuit igitur ut jus suum unicuique servatum, vindicatumque a legibus esset, atque humana negocia, ex quibus frequentissimæ simultatum, mutuarumque offensio-

---

(1) Matth. *loc. cit. n.* 3. 4. apud nos de provinciæ et possessorum aggeribus custodiendis plures politiæ punitivæ extant constitutiones quas memorat *l.* 17. *Jun.* 1815.

(2) *Dig. lib.* 47. *tit.* 11. *leg. pen.*

(3) *Cod. lib.* 9. *tit.* 38. *leg. un.*

num causæ exoriuntur, libera quidem forent: ast controversiæ ex iis natæ eo ordine dirimerentur, qui a legibus ipsis præstitutus fuisset. Hoc præstat publica justitia, quæ ipsa idcirco veluti socialis ordinis pars ad publicam securitatem, tranquillitatemque fovendam directa, maximopere interest ut ab criminosis excessibus, constitutis sanctionibus, protegatur.

§. 764. Verum ut vis et potestas legum, quæ per publicam justitiam exeritur, ea qua decet firmitate atque præstantia in civium animis polleat, necesse est ut publica officia, legumque munera incorrupte magistratibus committantur, atque incorrupte a magistratibus ipsis exerceantur. Cum hæc leges præstiterint, nefas quemquam vel magistratibus resistere vel extra legum præsidium quidquam audere.

§. 765. Cum autem contra justitiam publicam peccent qui magistratus munera veluti sordidum quæstum mercantur, qui hujusmodi muneribus abutuntur, qui in magistratus quid audent quique demum jus suum sine judice sibi vindicare præsumunt, præstat publicarum privatarumque personarum in publicam justitiam crimina singillatim perstringere.

ART. I.

DE DELICTIS CONTRA JUSTITIAM PUBLICAM PUBLICARUM PERSONARUM QUOAD PUBLICAS PERSONAS

De ambitu.

§. 766. Ambire et circumire idem veteribus fuit, qui *am* pro *circum* usurpare consueve-

runt (1): adeoque ambitus nomen latiori significatu magistratuum petitionem designat (2). Quoniam autem magistratuum petitio *licitis*, *illicitisque* diligentiis adhiberi potuit, hinc utriusque rationis ambitus exorta divisio in licitam nempe et illicitam, atque a lege prohibitam. Ad primam attinebant quæ amicorum, cognatorum, affinium favorem conciliabant, assiduitas, benignitas, blanditiæ, quibus sensus eorum commutarentur, qui magistratum eligebant (3): ad alteram divisio pecuniarum, suffragiorumque emptio (4). Hinc ambitus est *crimen eorum, qui potestatem honores publica officia auro vel donis emunt* (5).

§. 767. Publicis privatisque corruptis moribus, prisca exuta virtute, rebusque publicis ad servitutem vergentibus, tam multæ apud romanos de ambitu latæ sunt leges ut de nullo alio crimine totidem recenseri possint (6). Julius Cæsar

---

(1) Matth. *ad Dig. lib.* 48. *tit.* 11. *cap.* 1. *n.* 1.
(2) Cicer. *De petit. consul. ad Q. Fratr.*
(3) Matth. *loc. cit.* ad licitas ambitus species congiaria referebantur, dona scilicet quæ populo romano a candidatis fiebant. Crassus cum consulatum peteret cunctis Romæ civibus prandia obtulit ob quod decem mille mensæ conquisitissimis cibis extructæ sunt: præterea frumentum distribuit quod trium mensium consummationi sufficeret. Plut. *in Crass.*
(4) Matth. *loc. cit. n.* 2.
(5) Jacob. Gothofred. *coment. in Cod. Theodos. lib.* 9. *tit.* 26. *leg.* 1.
(6) Sigon. *De judiciis lib.* 2. *c.* 30. Beaufort *La Republique Rom. liv.* 5. *chap.* 4.

sanctioues in ambitum inutiles quadantenus reddidit, consulum aliorumque reipublicæ magistratuum electionem ad se trahendo (1). Octavius Augustus cum antiquæ libertatis formas denuo restituisset (2) legem Juliam de ambitu tulit (3), quam tamen cessasse Modestinus testatur inquiens, magistratuum electionem non amplius ad populi favorem sed ad curam Principis spectare, qui in publicis conferendis officiis non commovetur pretio, assiduitate, privatis affectibus, sed *candidatorum virtute* (4).

§. 768. An jure Justinianæo Lex Julia jam obliterata restituta fuerit mire dissentiunt inter se magni nominis interpretes (5). Attamen certum

---

(1) Sveton. *in Cæs. cap.* 42.

(2) Dion. Cass. *lib.* 53. *p.* 698. *Eadem magistratuum vocabula* inquit Tacit. *Annal. lib.* 1. §. 3.

(3) Hujus legis nomine inscribuntur *Dig. lib.* 48. *tit.* 14. *Cod. lib.* 9. *tit.* 26. Conf. Joseph Gabal. comitem sarmatorium *ad legem Juliam de ambitu* apud Fellemberg *Jurispr. antiq. vol.* 1.

(4) *Dig. lib.* 48. *tit.* 14. *leg. un.* Hæc juris mutatio ad Tiberii tempus refertur, a quo comitia e campo in curiam, et e curia ad Principem translata fuerunt. Cremani *lib.* 2. *cap.* 4. *art.* 1. §. 8. et auctores in notis citati. Matthæus vero animadvertit, pœnas quidem non crimen cessasse, eoque deventum fuisse ut si quid iis, qui circa latus Principis degebant promissum esset ut suffragia darent, dato suffragio, condictio certi ex suffragio promissario concederetur ad id consequendum quod promissum fuerat. Matth. *ad lib.* 48. *tit.* 11. *c.* 1. *n.* 3. Hujus fœdæ honorum per suffragia mercandorum nundinationis historiam sub imperatoribus exhibet vir eruditissimus Jacob. Gothofred. *loc. cit.*

(5) Matth. *loc. cit.* Cremani *lib.* 2. *cap.* 4. *art.* 1. §. 8. *ad fin.* ac auct. in not. cit.

est, hujus criminis accusationem sub imperatoribus haud exolevisse (1).

§. 769. Pœna ambitus ex lege Julia deportatio fuit (2): in municipiis multa centum aureorum cum infamia (3). Arcadius, et Honorius deportationi bonorum jacturam addidere (4). Quamvis hoc crimen earum regionum proprium sit ubi popularia habentur comitia, nihil vetat quominus et sub Principis, et sub Optimatium regimine si quando accidat severissime coerceatur (5).

ART. II.

DE DELICTIS CONTRA JUSTITIAM PUBLICAM PUBLICARUM PERSONARUM QUOAD PRIVATOS

§. 770. Quia incorrupte, et ex fide publica munera exercenda sunt ut publicæ justitiæ privatis politica utilitas suppetat (§. 764.) graviter delinquunt qui hisce muneribus in privatorum perniciem abutuntur. Id autem duplici ratione committi potest: aut *officiorum*, quæ judicum ac magistratuum propria sunt, abusu: aut *functionum*, quæ temporaliter et ad certos publicæ justitiæ effectus alicui a lege demandantur.

---

(1) Matth. *loc. cit. n.* 5.
(2) *Dig. lib.* 48. *tit.* 14. *leg. un.*
(3) Matth. *loc. cit. c.* 2. *n.* 1.
(4) Cod. Theod. *lib.* 9. *tit.* 26. *l.* 1.
(5) Matth. *loc. cit. cap.* 2. *n.* 3. Poggi *lib.* 2. *cap.* 15. §. 82.

§. I,

De publicorum officiorum abusu.

N. 1.

De proprio publicæ auctoritatis abusu.

§. 771. Dignitatis fastigium, ira, studium, animi levitas, durities, ignorantia, et si quæ sunt hujus generis alia id quandoque efficiunt ut qui vel Judicis, vel Magistratus publica exercent officia, veritatem deserant, justitiam lædant, lenitatem ubi rigore opus est, rigorem vero ac per quam maximum, ubi nulla rigoris occasio, sequantur, vel favendo, vel opprimendo quin tamen ulla sordidi quæstus cupiditas intercesserit. Talia facinora, inquit Blackstonius, eo graviora sunt quo frequentiores delinquendi occasiones oppressoribus occurrunt, difficiliorque oppressis ob delinquentis potestatem justæ reparationis opportunitas (1).

§. 772. Auctoritatis publicæ abusionis species sunt I. Si quis vel imperio vel jurisdictione præditus contra jus aliquid dolo malo, partiumque studio correptus statuit decernit in alterius damnum, præcipuæ vero viduarum, pupillorum, aliorumque majoris patrocinii indigentium (2). II. Si quis magistratibus administer, cui legum execu-

---

(1) Blackst. *Coment. on the laws of England. B.* 4. *pag.* 141.

(2) Poggi *lib.* 2. *cap.* 12. §. 65. Cod. Leopold. *art.* 64.

tio demandata est, vel plus æquo sæviens vel colludens aliquem aut indebite vexet, aut contra jus fasque protegat. III. Si commentariensis nefarias turpes artes aut sævitias in carceri inclusos exerceat ut ipsi vel se vel alios crimine insimulent (1). IV. Si apparitores in prehendendum reum ultra legitimæ defensionis modum sæviant (2).

N. 2.

De Crimine repetundarum, et de Baracteria.

§. 773. Turpe quidem est ac publicæ justitiæ instituto contrarium publica abuti auctoritate quamvis id non ex causa lucri sed ex alia quacumque causa processerit. Turpius vero atque tetrius ita agere ob sordidum quæstum I. sive id *extorsione*, II. sive id *corruptione* acciderit.

§. 774. I. Ad extorsionem proprie pertinet *repetundarum* sive *de pecuniis repetundis* crimen, quo irretiuntur magistratus, aliique in publico officio positi si pecuniam aut rem venalem indebite ab his, qui illorum jurisdictioni aut imperio subjiciuntur, exigant ea qua funguntur au-

(1) Ex constitutione Eduardi III. hoc crimen, quo nihil turpius execrabilius excogitari potest, tamquam *felonia* severissimis in Anglia coercetur pœnis. Blackstone *loc. cit. p.* 128. Utinam horum scelerum, quæ justitiam degradant, societatemque ipsam, quæ homines defendere debet, hominibus infestissimam efficiunt, nomen ipsum a foro exularet!

(2) Cod. Leopold. *art.* 69.

ctoritate abutentes, quin tamen in dantem aliquo speciali injecto terrore id effecerint, ita dictum a pecuniis, quibus repetendis in magistratum vexantem vexato civi jus leges impartiebantur (1). Quia vero in socios frequentius romani magistratus hujusmodi extorsiones exercebant, hinc leges de pecuniis repetundis latæ sociales dictæ fuerunt (2).

§. 775. Quæstio perpetua de pecuniis repetundis a L. Calpurnio Pisone instituta fuit eo quod magistratuum extorsiones frequentiores intolerabilioresque evaserant (3). Postea leges Junia, Servilia, Acilia, Cornelia, demumque Julia latæ fuerunt (4) quæ omnes cum extorsionem non corruptionem respicerent recte de pecuniis repetundis inscribebantur (5).

§. 776. II. Sub imperatoribus, cum omnia ab eorum auctoritate subacta fuissent, ac labentis reipublicæ abusus, rapinæ, violentiæ cum Prætorum atque Proconsulum effræna in provinciis potestate cessassent, magistratus quæ olim aperta vi consequebantur, rerum ordine immutato, clam mutiusque cum privatis pactionibus justitiam nundinando obtinuerunt. Exinde lege Julia teneri cœperunt qui in potestate positi pe-

---

(1) Cujac. *ad Cod. tit. ad l. Jul. repet.* Sigonius *De judiciis lib.* 2. *c.* 27.
(2) Cicer. *De offic. lib.* 2. *c.* 31. *In Bruto cap.* 27. *In Verrem* 3. *c.* 84.
(3) Beaufort *La Rep. Rom. vol.* 4. *pag.* 221. 225.
(4) Lex Julia sub Julio Cæsare lata a Triboniano in Juris civilis corpus cooptata est. *Dig. lib.* 48. *tit.* 27. *Cod. lib.* 9. *tit.* 11.
(5) Beaufort *loc. supr. citat.*

cuniam ob judicandum, decernendumque accepissent (1) vel quo magis aut minus quid ex officio suo fecissent (2): quæ omnia cum ad corruptionem potius quam ad extorsionem pertinerent, reusque efficeretur tam magistratus, qui se corrumpi patiebatur, quam privatus, qui illum corrumpere ausus erat, legibus recte constitutum est, ut non modo adversus accipientem, sed etiam adversus dantem accusandi cunctis tamquam in crimen publicum facultas concederetur, quin datæ pecuniæ amplius repeti potuissent (3): exinde de pecuniis repetundis nomen crimini minus aptum adparuit (4).

§. 777. Aptiori vocabulo quamvis satis barbaro magistratus corruptionem posterioris ævi Jurisconsulti *Baracteriam* dixere, quia per illam quoddam veluti baractum, scilicet *permutatio pecuniæ cum justitia* intercedit (5).

---

(1) *Dig. lib.* 48. *tit.* 11. *leg.* 3.

(2) *Dig. loc. cit. leg.* 4.

(3) *Cod. lib.* 9. *tit.* 27. *leg.* 9.

(4) Hujusmodi nomen tamquam paradoxum notat Matth. ad *Dig. lib.* 48. *tit.* 8. *cap.* 1. *n.* 11. *in fin.* Interpretes, cum criminis historiam ad temporum vicissitudines non exegerint, extorsionis et corruptionis diversos titulos sub eodem repetundarum nomine comprehenderunt. Paradoxum, quod Matthæus romanis legibus exprobat, evanescit si allata animadvertatur juris mutatio. Hinc aqua hæret qui aliter criminis titulum cum illius definitione conciliare præsumit. Conf. Nani *ad Matth. loc. cit.* qui frustra, quod Matthæus paradoxum vocat, defendere conatur. Matthæi vero sagacitas alibi extorsionem a corruptione distinguit ad *lib.* 48. *tit.* 8. *c.* 2. *n.* 6.

(5) Cremani *lib.* 2. *c.* 4. *art.* 2. §. 2. *Baractum* potius dicendum. Baracteria est proprie fraus dolus qui

§. 778. Hactenus criminis indolem atque historiam indicavimus: superest nunc ut, ad criminis momenta fusius explananda, inspiciamus: scilicet I. a quibus committi possit II. in quo consistat et quoad intentionem agentis et quoad executionem III. qui sint illius imputationis gradus.

§. 779. I. Quoniam omnes, qui munere, officioque publico funguntur, in hoc crimen incidunt (1), verborum generalitas satis evincit, impune corrumpi haud posse non magistratus tantum, sive urbani sint sive provinciales sive municipales, qui in curatione legatione sunt quamvis id ad tempus demandatum fuerit, sed nec præsidum comites, Judices pedaneos, senatores, centuriones, eosque ipsos, qui aliquod opus publicum faciendum susceperint (2).

§. 780. II. Ut criminis momentum recte æstimetur inspiciendum 1. quid magistratus acceperit 2. per quos et a quibus 3. quo demum affectu.

§. 781. 1. Criminis turpitudo ac gravitas, quæ non in privatorum patrimonii ademptione sed in publicæ justitiæ violato deposito consistit, recte suasit ut in magistratu voluntas peccandi magis quam modus spectetur, adeout crimen hoc etiam

---

fit in contractibus. Du Cange *Glossar. mediæ et inf. lat.* verbo *Baractum* Hujusmodi vox hodie ad fraudes refertur, quas magister navis in damnum eorum quorum interest, admittit. Conf. Cl. Baldasseroni *Dizionario ragionato di giurisprudenza marittima etc. vol.* 2, *pag.* 240.

(1) *Dig. lib.* 48. *tit.* 11. *leg.* 1.

(2) Matth. *loc. cit. n.* 2. 3. 4. *ibique* Nani *in suis animadv.*

uno nummo accepto contrahi possit (1). Nec interest utrum titulo donationis acceptum sit vel cujuscumque alterius velamento contractus (2): an acceptum in pecunia numerata aliave quacumque specie, aut appetibili re consistat.

§. 782. 2. Magistratus delinquunt non solum si ipsi quid illicite acceperint, verum etiam si per comites, ministros, domesticos, uxorem (3). Si vero comites, ministri, domestici, propriæ utilitatis gratia aliquid acceperint, magistratus culpa punienda est qui eligere fidos, observare suspectos, coercere corruptos debebat (4).

§. 783. 3. Quamvis dona recipere in eo, qui Principem repræsentat, turpe atque periculosum sit (5) non omnia tamen dona, quæ magistratus recipit, baracteriam constituunt. Oportet igitur ut qua mente donatum fuerit sedulo introspicia-

---

(1) Matth. *loc. cit. n.* 10.

(2) Matth. *ibid.*

(3) Cremani *lib.* 3. *c.* 4. *art.* 2. §. 5.

(4) Cicer. *ad Q. Fratr.* Matth. *loc. cit. n.* 6. Hoc loco illustris Baconis Verulamii nostrorum temporum philosophiæ patris ac principis exemplum prætereundum non est, qui domesticorum avaritiæ plus æquo indulgens repetundarum criminis ab *Aubery* et *Egerton* postulatus fuit, amplissimas dignitates amisit, et carceri ad Regis arbitrium damnatus fuit. Unde graviter Pope animadvertit, neminem se ob ingenii laudem nimis suscipere debere, Baconis inspecto fato. *Essay on the man.* Chauffepiè *Nouveau dict. Histor. et critique etc. vol.* 1. art. *Bacon.*

(5) Jure romano Præsides intra annum diversis vicibus dona accipere poterant, quæ simul collecta centum aureos haud excederent, eaque taxatio ad esculenta et poculenta nec non ad xenia, quæ hospitibus

mus (1). Crimen constituunt quæ magistratui dantur I. ut ipse justitiam sequatur II. ut justitiam deserat. Hinc excipienda sunt dona, quæ magistratus acceperit a sobrinis, iisque qui propiores gradu sunt, vel ab amicis, vel ab uxore: utpotequæ ob benevolentiam mutuam non ob corruptionem facta præsumi debeant (2). Ea quoque excipienda sunt, quæ judici dantur ob munera et labores ab eo extra judicis officium susceptos (3). Quod autem judici datum est remunerationis causa non ut faceret sed postquam judicando fecisset officium, ad crimen refertur, quidquid Bartolus, ejusque sectatores aliter senserint (4).

§. 784. III. In criminis imputatione statuenda

---

dari solebant, referebatur. Jacob. Gothofr. *coment. ad Cod. Theod. lib.* 8. *tit.* 15. in Hetruria olim ex præscripto *l.* 19. *Xbris* 1576. Judicibus esculenta et poculenta recipere licebat, quæ unius aurei pretium non exsuperarent. Sabelli *Pract. univ.* verb. *presenti. n.* 6. Ast Petrus Leopoldus Augustus lege 8. *Aprilis* 1784 §. 9. ab omnibus indiscriminatim veniis quamtumvis parvis judices prohibuit.

(1) Mens hæc a dante desumenda est utpotequi rei datæ in accipientem dominium vel saltem possessum transfert. Arg. *l.* 6. *tit.* 50. *Cod. lib.* 4. ibique Donellus in suo coment.

(2) Matth. *loc. cit. n.* 10.

(3) Paoletti *Instit. crim. theor. pract. vol.* 1. *pag.* 111.

(4) Matth. *loc. supr. cit. n.* 8. Nec eorum laudanda sententia qui docent, judices ob actus jurisdictionis voluntariæ munera accipere posse, aut in causa liquida, si moræ subsit periculum, pro executionis diligentia. Conf. Boehmer. *ad Carpzov. quæst.* 103. *obs.* 5.

æquitati naturali consonum est observare 1. utrum in judicio privato vel publico judicis corruptio intercesserit, 2. si in judicio publico id acciderit an pro reo absolvendo, vel condemnando, quod atrocius est, 3. judicii publici majus vel minus momentum, 4. si pecunia a judice accepta fuerit postquam fecisset officium, 5. si antea quid datum receptumque sit, justitia tamen in decidendo læsa haud fuerit. Quamvis enim dati et recepti quantitas ad criminis magnitudinem constituendam ut in furto, haud considerari valeat, æquum tamen est ut scelus æstimetur ratione composita I. agentis malitiæ quia mali exempli res est II. ac detrimenti quod in publicam justitiam rediit, cujus tutela reipublicæ maxime interest (1).

§. 785. Hujus criminis pœna jure romano duplex fuit, pecuniaria atque extraordinaria: illa litis æstimatio fuit vel simpli, vel dupli vel quadrupli: hæc non solum exilium sed et relegatio, verbera, confiscatio, ipsaque mors si ad hominem necandum pecunia accepta fuerit (2).

§. 786. Jure patrio tam publicæ auctoritatis abusus (§. 771.) quam repetundarum ac Baracteriæ crimen veluti publicæ violentiæ species habetur (3), ac relegatione punitur (4).

---

(1) Filangieri *Scienza della legislazione lib.* 3. *part.* 2. *cap.* 47. *tit.* 1.

(2) Matth. *loc. cit. cap.* 2. *n.* 1. Heinecc. Antiq. Rom. §. 72. Boehmer *Elem. Jurispr. crim. sect.* 2. *cap.* 35. §. 301.

(3) Cod. Leopold. *art.* 64. qui publicorum operum pœnam interminabatur. Conf. Cl. Poggi *lib.* 2. *cap.* 12. §. 68.

(4) *L.* 30. *aug.* 1795. *art.* 12.

N. 3.

De concussione, ejusque variis speciebus.

§. 787. Concussio a *concutiendo* dicta nominis proprietate actum significat, quo quis arborem concutit ut cadentes fructus colligat (1), estque maleficii genus, *quo metu potestatis publicæ, nostræ, alienæ, aut judicii futuri illicite injecto aliquid extorquetur ab aliquo id agente, ut alicujus rei præstatione se eo metu liberet* (2).

§. 788. Ex allata definitione consequitur, concussionem I. aut *publicæ* II. aut *privatæ* potestatis metum exhibere. *Publicæ* autem potestatis metus I. vel ab eo injicitur, qui ea reapse pollet, II. vel ab eo, qui talem potestatem haud habet, eamque simulat. Publicæ potestatis injectus metus ex parte ejus, qui auctoritate publica præditus est, concussionem *propriam* constituit: ex privatorum parte *impropriam*. Concussio, quæ metu potentiæ privatæ suæ vel alienæ a privatis committitur, huc non pertinet et speciem rapinæ affinem constituit (3).

---

(1) Donell. *Coment. jur. civ. lib.* 15. *cap.* 40. §. 2.

(2) Donell. *loc. supr. cit.*

(3) Allatæ distinctiones nec apud interpretes nec apud practicos inveniuntur, quapropter non parum confuse de concussione in juris nostri libris concussionis notiones occurrunt. Jure Romano aliud fuit legis Juliæ de pecuniis repetundis judicium: aliud extraordinaria concussionis accusatio: aliud actio de eo quod metus caussa, quæ differentiæ a Mathæo ipso haud satis precise indicantur ad *Dig. lib.* 47. *tit.* 7. *c.* 1.

§. 789. I. Concussio propria ideo a repetundarum crimine distinguitur quia in ea specialis alicujus terroris injectio requiritur, quod in extorsione necessarium non est (§. 773.), eaque ut plurimum ab inferioribus magistratibus admittitur.

§. 790. Concussionis propriæ species sunt I. si metator qui hospitia militibus et officiis præbenda designat, eo prætextu pecuniam acceperit (1): II. si Centurio, qui tyrones exercet, atque imbuit disciplina, a veterano aliquid accipiat eo prætextu ut illum a tyrocinio eximat (2): III. si in publico constitutus officio alicujus rei venditionem a privato per terrorem extorserit (3): IV. si licita negotiatione aliquem prohibeat ut is pecuniam numeret et se ea interdictione liberet (4).

§. 791. Concussio propria aut *explicite* ac per vim ut in allatis speciebus, aut *implicite ac virtualiter* juris colore quæsito adhibetur, cujus species sunt I. si magistratus aliquid a

---

n. 3. Paolettus vir ceteroquin diligentissimus concussionem ad delicta contra privatos refert, ejusque exempla suppeditat, quæ publicæ auctoritatis abusus sunt *Inst. crim. theor. pract.* vol, 2. *pag.* 51. Mathæus ipse species concussionis memorat, quæ ad privatæ potentiæ metum pertinent *loc. cit. n.* 1. Quoad has species conf. *l.* 30. *nov.* 1786. *art.* 76. *l.* 30. *aug.* 1795. *art.* 19. *n.* 3. quibus explicandis divisionem nostram non inutilem fore arbitramur.

(1) *Dig. lib.* 1. *tit.* 17. *leg.* 6. §. *illicita et* §. *ne tenuis.*

(2) *Dig. lib.* 12. *tit.* 5. *leg. pen.*

(3) *Cod. lib.* 2. *tit.* 20. *leg. pen.*

(4) *Dig. lib.* 1. *tit.* 18. *leg.* 3. §. *neque licita.*

privatis sub specie tributorum exigat (1): II. si executores litium plus justo exigant sub obtentu rei judicatæ (2): III. si quid ultra debitum a curialibus, vel cohortalibus, vel aliis exactoribus elicitum sit (3).

§. 792. II. Concussio *impropria* non *abusu* sed *prætextu* publicæ auctoritatis admittitur, cujus exempla hæc afferri possunt I. si quis simulato præsidis jussu pecuniam vel rem consequutus sit (4): II. si quis pecuniæ vel rei extorquendæ gratia accusationem aut testimonii dictionem minatus sit (5): III. si quis altioris ordinis insignia induens, vel militem se simulans pecunias extorserit (6): IV. si quis *adsiduus* apud magistratum fuerit, aut *fumum vendiderit*, quæ concussionis impropriæ *species nominatas* constituunt.

§. 793. Concussor, ut recte Mathæus notat, est qui terrorem injicit: Sycophanta qui calliditate atque fallacia ad aliquid extorquendum utitur (7). Istiusmodi vero Sycophantæ aut circa latus judicum, et magistratuum fere semper sunt, atque apud ipsos gratia ac familiaritate se plurimum valere jactant, ideo *adsidui apud magistratus* dicti (8), aut pecunia accepta,

---

(1) *Dig. dict. leg.* 3. *in fin.*
(2) *Novell.* 124. *cap.* 3.
(3) *Cod. lib.* 10. *tit.* 20. *leg. un.*
(4) *Dig. lib.* 47. *tit.* 13. *leg.* 1.
(5) *Dig. dict. tit. leg.* 2.
(6) *Dig. lib.* 1. *tit.* 18. *leg.* 6. §. 3.
(7) *Ad lib.* 47. *Dig. tit.* 7. *c.* 1. *n.* 1.
(8) Cremani *lib.* 2. *cap.* 4. *art.* 2. §. 13.

quod negocium negociosissimum prorsus illis est, sententiæ alteriusve rei eventum credulis vendunt, quin venditus eventus in eorum potestate fuerit, ideoque *fumi venditores* (improbum sane genus!) appellantur (1).

§. 794. Concussionis pœna, jure romano, præter ablati restitutionem extra ordinem decernenda arbitrio judicantis committebatur (2). Præterea cum extraordinaria concussionis accusatione plura judicia concurrere poterant, nempe actio ex Edicto de calumniatoribus, actio quod metus causa (3), actio legis Corneliæ de falsis, ipsaque legis Juliæ actio de pecuniis repetundis, quarum una electa, ad accusationem quod attinet, reliquæ perimebantur (4). Apud nos concussionis propriæ rei instar reorum repetundarum plectuntur. Judicandi consuetudo in concussionis impropriæ reos extra ordinem modo gravius modo levius pro admissi qualitate animadvertit (5).

---

(1) Cremani *loc. cit.* §. 17.

(2) Matt. *loc. cit. n.* 1.

(3) Recte Matthæus Donelli sententiam rejicit, qui existimavit inter concussionis judicium et actionem quod metus caussa id interesse quod ad primum levior metus sufficiebat, ad alterum atrocior requirebatur *loc. cit. c.* 1. *n.* 4.

(4) Matth. *loc. citat. n.* 4. 5.

(5) Ad assiduos quod attinet politiæ leges exposcuntur, de quibus suo loco dicendum erit. Fumi venditores multa, exilio, privatione officii puniri, perraro tamen, inquit Sabelli *Pract. Univ.* verb. *vendere n.* 42. *et* verbo *Giudici n.* 45. Caball. *Resolut. crim. cas.* 67. Scannarol. *De visit. Carcerat. lib.* 1. §. 13. c. 6. Fumi venditricis pœnam refert Cl. Poggi *lib.* 2. *c.* 14. §. 77.

§. II.

De publicarum functionum abusu.

§. 795. Non solum judicum ac magistratuum institutio publicæ justitiæ administrandæ necessaria fuit, verum etiam et accusatores in publicis judiciis, et testes tam in publicis quam in privatis adhibendi fuere, iisque idcirco functiones a lege demandandæ, quæ æque ac judicum auctoritas incorrupte et ex fide exerceri debuerunt. In has vero functiones peccant I. Prævaricatio II. Calumnia III. Falsum testimonium.

N. 1.

De Prævaricatione.

§. 796. Prævaricationis nomen sive a *prætergradiendo*, sive a *varia certatione*, sive a *varicando* et *varo* (1), sive inepte quidem, a *vario sermone* (2) deduci velit, crimen *accusatoris* designat, quo *is causam adversario donat, et ex parte actoris in partem rei concedit* (3): quæ definitio et rei defensorem comprehendit quamvis nominis proprietas ad accusatorem tantum pertineat (4). *Collusio* et *ter-*

---

(1) Ulp. *in l.* 1. *tit.* 15. *lib.* 47. *Dig. et l.* 112. *tit.* 16. *lib.* 50. Vari homines dicebantur qui obtortis a varicibus plantis incedebant. Matth. *ad Dig. lib.* 47. *tit.* 9. *c.* 1. *n.* 1.

(2) Accursius *in l.* 20. §. 1. *Dig. de Aedilict. edict.*

(3) *Dict. l.* 112. *tit.* 16. *lib.* 50.

(4) Matth. *loc. cit.* 2. 3.

giversatio prævaricationi insunt ceu species generi. Collusor est qui cum reo actoris personam simulat non agit: quæ ipsum onerant leviter attingendo, probationes dissimulando, falsas excusationes admittendo (1). Tergiversator est qui ab accusatione desistit, abolitione a judice non impetrata (2).

§. 797. Hæ prævaricationis *propriæ* species sunt, quæ hodiernis moribus, et inquisitorii processus indole inspecta, in quo Judicis officium fere omnia peragit, in desuetudinem abiere (3). Prævaricationis *impropriæ* rei fiunt, qui causas vel criminales vel civiles defendendas suscipiunt, ac ab adversario corrupti in clientis damnum quomodocumque machinantur, quæ si falsi species haud præseferant, disciplinariæ coercitioni subjiciuntur (4).

§. 798. Jure romano prævaricationis crimen,

---

(1) *Dig. lib.* 48. *tit.* 16. *l.* 1. §. 6.

(2) *Dig. loc. cit. l.* 6. *l.* 13. Hic de privata abolitione agitur, quam olim impetranti accusatori ob aliquam justam causam judex indulgebat, quæque moribus hodiernis ignota est. Conf. Cl. Cremani *lib.* 1. *part.* 3. *cap.* 5.

(3) Cremani *lib.* 2. *cap.* 4. *art.* 5. §. 2.

(4) Ad has graviores species respexisse videtur Sabelli, qui, nulla inter privatum et publicum judicium adhibita distinctione, prævaricationem impropriam infamia atque extraordinaria pœna coercendam docet *Pract. Univ.* verbo *Avvocati n.* 4. Ad prævaricationem impropriam pactum quotæ litis in causa civili referri potest, de quo *Dig. lib.* 50. *tit.* 13. *l.* 1. §. *si cui* *Cod. lib.* 2. *tit.* 26. l. 5. Caravita *Inst. crimin. lib.* 1. §. 3. *cap.* 4. *n.* 3. Sabelli *Summ. divers. tract. lit. P.* §. 1. *n.* 10.

sive in judicio publico sive in extraordinario prævaricatum fuerit, extra ordinem coecerbatur (1).

N. 2.

De Calumnia.

§. 799. Calumniator est, qui *sciens dolo malo falsum crimen intendit* (2). Quoniam hujus criminis indoles in dolo, atque fallacia consistit tota, ut ea rectius explanetur, criminis ipsius momenta seu ut vocant extrema nobis pensitanda sunt I. quoad intentionem agentis II. quoad executionem.

§. 800. I. Calumnia, ut de accusatoris consilio ad justitiæ, ac æquitatis tramites statui possit, utiliter dividitur I. in *præsumptam* II. *manifestam* III. et *manifestissimam* pro vario vel erroris, vel malitiæ gradu accusatoris, qui falsum crimen intenderit (3). Calumniam præsumptam dicimus cum reus ob defectum probationum absolvitur quin tamen ipse suam probaverit innocentiam (§. 618.): manifestam cum reus innocentiam suam plene probaverit : manifestissimam cum reus is fuit, a quo non solum culpa sed et criminis suspicio aberat, probaturque

---

(1) *Dig. lib.* 47. *tit.* 15. *leg.* 2. Conf. quæ ut Ulpianum cum Paulo conciliet, acute disserit Nani *in suis animadv. ad Matth. loc. cit. n.* 2. *cap.* 2. *not.* 1. *et* 2.

(2) Matth. *ad lib.* 48. *Dig. tit.* 17. *cap.* 3. *n.* 1.

(3) Matth. *loc. cit. n.* 6. Clar. *quæst.* 62. *n.* 20. qui calumniam in *veram* et *præsumptam* tantum dispescit.

improbe ab accusatoribus coitum esse in ejus perniciem (1).

§. 801. Non omnibus accusatoribus infligitur calumniæ pœna, atque eam excludunt 1. justus dolor 2. officii necessitas.

§. 802. 1. Ob justum dolorem sine metu calumniæ accusant tutores, et curatores, qui necem parentum, et liberorum persequuntur, extraneus hæres si quem veneficii postulaverit jussu testatoris, fœminæ si suas vel suorum injurias persequantur, maritus denique, qui intra dies sexaginta jure mariti accusat (2).

§. 803. 2. Ob officii necessitatem a calumnia excusantur Fiscus, Irenarchæ, Curiosi, Stationarii, iique generatim, quibus inscriptionis nenessitas (§. 553.) remittitur (3), delatoribus, indicibus, nunciatoribus non exceptis, si ex officio non præmio invitati nunciaverint (4).

§. 804. Personæ, quas indicavimus, ita a calumnia excusantur ut ob solam manifestissimam et improbam calumniam puniendæ sint (5). Ge-

---

(1) Matth. *loc. supr. cit.* Alii accusationem in *calumniosam*, *temerariam*, et *eam* quæ quamvis probata haud fuerit, *bona fide* tamen ab accusatore porrecta fuit, quæ divisio fori usui accomodatior videtur. Confer concinnam, doctamque de calumnia dissertationem, quæ prostat apud Pitaval *Caus. celebr. vol.* 1. *ad fin.*

(2) Matth. *loc. cit. n.* 5.

(3) *Cod. lib.* 2. *tit.* 9. *leg. pen. et lib.* 3. *tit.* 16. *leg.* 5. 6.

(4) Matth. *loc. cit. n.* 7.

(5) Matth. *loc. citat. n.* 7. Cod. Leopold. *art.* 2. expressæ seu manifestæ calumniæ pœnam in publicum

neratim vero quævis justa erroris causa accusatores omnes excusando par est (1). Hoc autem quoad calumniæ pœnam intelligendum est non quoad damna accusato sarcienda, nam ad ea præstanda etiam ex levissima culpa oritur obligatio (2).

§. 805. Quapropter qui non probat, quod intendit, protinus calumniator haud est, ejusque rei cognitio *absoluto reo* arbitrio cognoscentis committitur, qui de accusatoris consilio quærere incipit (3). Hinc absolutio rei, accusationis scilicet falsitatis declaratio, per sententiam definitivam requiritur antequam de accusatoris calumnia agi possit (4). Cum autem absolutio ab in-

---

accusatorem statuit, quam ipse tamen effugit si notitiæ, qua impulsus is accusationem proposuit, auctorem manifestet. Tunc enim legitima illi præsto est excusatio quasi se deceptum fuisse doceat.

(1) Bartolus *in l.* 1. *Dig. ad sc. Turpillianum* §. *juxta hoc quærό.* Covarruv. *Prac. crimin. quæst.* 27. Farinacc. *quæst.* 26. *n.* 13. *et seqq.* Guazzin. *Ad defens. reor. def.* 3. *n.* 17. 28. 39. 44.

(2) *Dig. lib.* 3. *tit.* 6. *l.* 7. ubi statuitur – *separatum est enim calumniæ crimen a damno* – Farinacc. *quæst.* 16. *n.* 42. 70. Clar. *quæst.* 62. *n.* 8. Bossius *Tract. var. tit. de accusat. n.* 29. Menoch. *De arbitr. caus.* 321. *n.* 18. 33. Damoudh *conf.* 115. *n.* 47.

(3) *Dig. lib.* 48. *tit.* 16. *leg.* 1. §. 3. *Cod. lib.* 9. *tit.* 46. *leg.* 3.

(4) Hinc Cl. viri Aloisii Cremani mihi haud arridet sententia, qui putat in eodem de delato crimine judicio de calumnia statui posse si evidens sit. *lib.* 2. *cap.* 4. *art.* 5. §. 10. Nemo enim sine accusatione, moribusque hodiernis sine inquisitione damnandus est. Jure

stantia decretum non definitiva sententia sit (§. 630.) abunde patet eam ad accusationis falsitatem statuendam haud sufficere, atque absolutionem a crimine seu ex capite innocentiæ requiri (1).

§. 806. II. Non defuere qui calumniam conatus speciem esse docuerunt (2), quod absurdissimum est: ea namque, quamvis prima fronte talis appareat, si ejus serius pensitetur indoles, ac juridicam falsitatem, quam in alterius perniciem continet, consideremus, nemo ambiget eam delictum in sua specie perfectum constituere (§. 194.).

§. 807. Calumnia non simpliciter attentata sed consummata dicitur cum accusatio falsum crimen dolo malo intendens aut judici porrecta fuit, aut in codice publico deposita (§. 552) quin expectandum sit, innocentem calumniatoris artibus necatum fuisse (3).

§. 808. Immo non *directe* tantum, falsum crimen dolo malo in judicio intendendo, sed et *indirecte* extrajudicialibus fraudibus quis calumniari potest, cum scilicet ea, quæ ad patratum crimen pertinent, illiusque indicia exhibent, pe-

---

Romano Judex *statim* de calumnia accusatoris statuere debebat; statim vero quid significet docet Matth. *loc. supr. cit. cap.* 3. *n.* 2. quod romanis moribus consonum fuisse notat Filangieri *Scienza della legislaz. lib.* 3. *part.* 2. *cap.* 22.

(1) Conc. Cod. Leopold. *art.* 2.

(2) Renazzi *Elem. juris crim. lib.* 1. *cap.* 4. §. 8.

(3) *Dig. lib.* 3. *tit.* 2. *leg.* 1. *Cod. lib.* 9. *tit.* 46. *leg.* 10.

nes innocentem hominem dolo malo reperienda curaverit (1).

§. 809. Olim lege Remmia vel verisimilius Memmia litera K. fronti calumniatorum inurebatur (2). Postea cum eis gravius agi cœpit, et talionis pœna irrogata est (3). Patrio jure calumniatores fustigatione, exilio, et pro admissi qualitate etiam publico opere plectuntur (4).

N. 3.

De Falso testimonio.

§. 810. Calumniatoribus haud absimiles, improbiores forsan sunt, qui testes ad judicium vel privatum, vel publicum acciti, religione jurisjurandi, quod suscepere, contempta, veritatem dolo malo vel minuunt vel immutant.

§. 811. Cum qui falsa testatur et uti perjurus et uti falsus puniendus sit, crimen recte objicitur cum I. jurata adsit attestatio II. falsitas in ea dolo malo adhibita deprehendatur III. falsitas ipsa alterius damnum contineat.

§. 812. I. Ut attestatio adsit requiritur, ut quis tamquam testis legitime vel citatus vel adhibitus, legitimeque in judicio vel privato, vel

---

(1) Bald. *in l.* 9. §. 4. *Dig. ad l. Corneliam de falsis.* Paoletti *Istit. crimin. theor. pract. lib.* 5. *tit.* 2.

(2) *Dig. lib.* 48. *tit.* 16. *l.* 1. §. 2.

(3) *Dig. lib.* 4. *tit.* 18. *leg.* 10. *Cod. lib.* 9. *tit.* 46. *leg.* 1.

(4) *L.* 30. *nov.* 1786. *art.* 66.

publico interrogatus, in judicio ipso sciens prudensque falsa responderit. Ut attestatio jurata dici possit jusjurandum solemniter delatum oportet fuerit (§. 732.). Jurant autem non solum qui veræ sed et qui falsæ religioni addicti sunt dummodo eo ritu juratum fuerit, quo legibus annuentibus falsa utitur religio (1).

§. 813. II. Non solum qui falsum testimonium dixerit sed etiam qui verum tacuerit falsi crimen contrahit (2). Hinc falsitas in testimonio admittitur verum pro falso substinendo, falsum pro vero dicendo, factum notum tamquam ignotum inficiando (3). Ast si quis pecuniam ob testimonium dicendum acceperit, et verum nihilominus dixerit, quamvis in publicam justitiam peccet, falsus tamen testis dici non potest (4). Quacumque demum ratione falsum testimonium quis dixerit, id per definitivam sententiam in eo judicio, in quo testis falsum asseruit, resultet oportet, adeout prius non liceat accusationem in falsum testem proponere (5). Falsi testes dici non

---

(1) Poggi *lib.* 2. *cap.* 2. §. 14.

(2) Matth. *ad lib.* 48. *Dig. tit.* 7. c. 3. *n.* 12. eorum sententiam refellens qui, quoad testem tacentem verum, distinguunt utrum pecunia accepta id factum fuerit nec ne, atque in eo casu crimen esse dicunt in hoc negant.

(3) Paoletti *Inst. crim. theor. pract. lib.* 1. *tit.* 4.

(4) Conc. Clar. §. *falsum n.* 18. Disc. Matth. *loc. cit. n.* 13.

(5) Decian. *Tract. crimin. lib.* 6. *cap.* 11. *n.* 36. Disc. Bossius *De fals. n.* 121. Bajard. *ad Clar.* §. *falsum n.* 12. Farinacc. *quæst.* 200. *p.* 3. Melchiori *Del falso e dello spergiuro cap.* 12. *n.* 31.

possunt qui defectus in dicto (§. 497.) dumtaxat patiuntur. Hujusmodi defectus falsitatis quidem suspicionem inducunt, ast nemo ex suspicionibus damnandus est (1).

§. 814. III. Testimonium quamvis falsum sit extra civilem pœnam esse potest si justus vel saltem excusabilis error illi causam dederit, adeout de dolo malo haud satis constet. In imputatione autem falsi testimonii æstimanda distinguendum est utrum testis perjurus immediate de delicto fidem faciat an de indicio, utrum hoc proximum vel remotum sit: utrum de facto adhuc dubio, cujus adsertio nisi aliæ accedant probationes nemini obesse potest: adeout pro illati damni mensura crimen coercendum sit (2).

§. 815. Pari pœna, qua falsi testes, subornatores plectendi (3): subornant autem qui testem occultant ne in judicio rei, de qua agitur, fidem faciat: qui illum exhibent ut mentiatur (4): qui præmii spe vel pecuniæ numeratione: vel blanditiis, cohortationibus, vel injecto terrore testem ad mentiendum alliciunt impellunt (5).

§. 816. Quæ fuerint jure romano perjurii pœnæ alibi diximus (§. 735.): eodem jure falsi te-

---

(1) *Dig. lib.* 48. *tit.* 19. *leg.* 5. Regula namque quæ statuit, suspicionem falsitatis pro falsitate haberi *Cod. lib.* 4. *tit.* 19. *leg.* 24. vel quoad favorem innocentiæ vel quoad effectus civiles tantum procedit Clar. §. *falsus n.* 39. Bajard. *loc. cit. n.* 251.

(2) Paoletti *loco supr. citat.*

(3) Melchiori *Del falso e dello spergiuro cap.* 5. *n.* 23.

(4) Farinacc. *quæst.* 67. *n.* 7.

(5) Melchiori *loc. cit.*

stes in censuram incidebant legis Corneliæ de falsis (1): jure patrio falsum testimonium in judicio criminali, si ad reum exonerandum prolatum sit, exilio luitur: si ad onerandum pœnæ calumniæ subjacet: in judicio vero civili exilio coercetur (2).

A R T. III.

DE DELICTIS CONTRA JUSTITIAM PEBLICAM PRIVATORUM QUOAD PUBLICAS PERSONAS.

§. 817. Omnia, quæ huc usque de criminibus magistratuum propriis retulimus, ea mente a legibus constituta sunt ut recta incorruptaque justitiæ administratio societatis objecto respondeat, ipsarumque legum imperium in civium animis altas firmasque radices agat ad publicam securitatem, tranquillitatemque fovendam.

§. 818. Ast justitiæ oracula frustra omni sapientia, fidelitate, incorruptibilitate excellerent si ea spernere, illisque haud obtemperare privatis liceret. Heinc coercitio et executio magistratibus a lege demandatæ fuere (§. 420.) ut vis et potestas cum justitia perpetuo fœdere conjungantur, quod ad societatis stabilitatem vel maxime confert (3). Omnia igitur, quæ hanc publicæ justitiæ vim ac potestatem ex privatorum parte

---

(1) *Dig lib.* 48. *tit.* 10. *leg.* 1. §. 1. 2. *leg.* 9. §. *pen. leg.* 20. *leg.* 21. §. 1.

(2) *Leg.* 30. *aug.* 1795. *art.* 2.

(3) Henrion de Pansey *De l'autorité judiciaire* etc. *chap.* 5. *in princ.* qui consulendus.

labefactare conantur, severissime coercenda. Huc pertinent I. Eximitio et resistentia II. Carceris effractio III. Reorum receptatio IV. Pœnæ inobservantia.

§. I.

De Eximitione, et resistentia.

§. 819. Eximendi verbum generale est: eripere *est de manibus auferre per raptum*, latiusque quemcumque auferendi modum designat ut puta si quis non rapuerit quem sed moram fecerit quominus in jus veniret (1). Resistere autem est in apparitores, lictores pugnare ad justitiæ executionem impediendam. Criminis momenta constituunt I. publicæ justitiæ jactura, malumque exemplum a crimine prodiens II. major vel minor agentis malitia.

§. 820. I. Eximitio ac resistentia aut quoad *citationem*, aut quoad *sententiæ executionem*, in *judicio publico*, vel in *privato*, *armis* vel *sine armis*, in *loco deserto* vel *publico* admitti potest, quæ omnia vel ad publicæ justitiæ jacturam, vel ad malum criminis exemplum referuntur.

§. 821. Si de citatione in judicio privato agatur, quoniam ea verbalis (§. 435.) transmittitur semper, exemptio ejus, qui ad jus venire necesse habuit, actionem *in factum* exempto in exemptorem suppeditat quanti interfuit eum sisti, qui in judicium vocatus fuit (2): dummodo tamen id

(1) Paul. *Dig. lib.* 2. *tit.* 7. *leg.* 4.
(2) *Dig. lib.* 2. *tit.* 10. *leg.* 3.

violenter actum non sit, quo casu exemptor tamquam vis publicæ reus habendus est (1): nec falsitas, aliave intercesserit fraus ita ut vel actio legis Corneliæ de falsis, vel actio de dolo sit instituenda.

§. 822. Si vel de citatione reali (§. 435.) in judicio publico, vel de sententiæ executione tam in publico quam in privato judicio agatur, eximitio vel resistentia vis publicæ aspectum sumit, legumque rigorem exposcit pro admissi gravitate, quæ adstruitur I. a natura judicii vel privati, vel publici: II. ab ipsius judicii minori vel majori momento, adeout si reus exemptus sit, qui confessus in publico majestatis judicio in vincula conjectus fuerit, exemptor in majestatis crimen incidit (2): III. a majori vel minori exemptionis vel resistentiæ scandalo in loco vel deserto, vel publico, occasione facti occulti vel notorii (3): IV. ab ipsius resistentiæ et eximitionis indole, si reus nempe ipse per se vim adhibuerit aut alienam opem imploraverit, aut populum concitaverit: leves autem conatus vacuis manibus adhibiti utpote a naturalis libertatis amore proficiscentes facile ignoscuntur (4): V. demum ab ipsius resistentiæ effectibus: si reus exemptus, vel non exemptus fuerit: si in apparitores armis vel sine armis obstitum pugnatumve sit: si cum vel sine ipsorum apparitorum læsione (5).

---

(1) Cremani *lib.* 2. *c.* 4. *art.* §. 4.
(2) *Dig. lib.* 48. *tit.* 4. *leg.* 1. Matth. *ad lib.* 48. *Dig. tit.* 2. *cap.* 2. *n.* 21.
(3) Cremani *loc. supr. cit.*
(4) Poggi *lib.* 2. *c.* 17. §. 90.
(5) Cod. Leop. *art.* 70. Paoletti *Istit. Crim. theor. pract. lib.* 3. *tit.* 4.

§. 823. II. Ad delinquentis malitiam quod attinet, crimen, ceteris paribus, mitius puniendum videtur: I. si non ex odio in publicam auctoritatem, petulantia, imprudentia, audacia, sed ex excusabili erga cognatos vel affines affectione processerit (1): II. si excessiva apparitorum sævitia crimini causam præbuerit (2): III. si magna atque evidens, non equidem sententiæ, sed citationis injustitia fuerit (3): IV. si apparitores judicis mandatum prehendendo reo non ostendant (4): V. denique si grave prehenso vel prehendendo reo mortis immineret periculum, quo casu crimen jura naturæ impunitum relinquerent (5).

§. 824. Eximitio et resistentia vis publicæ (§. 744.) species sunt, nec immerito alicubi tamquam rebelliones habentur (6). Apud nos horum criminum pæna judicantium arbitrio committitur, quæ pro admissi qualitate et circumstantiis ad opus publicum extenditur (7).

---

(1) Arg. *in leg.* 1. *tit.* 21. *lib.* 48. *Dig.*

(2) Cremani *lib.* 2. *cap.* 4. *art.* 4. §. 7.

(3) Carrard *De la Jurispr. crim. sect.* 2. *cap.* 5. §. 3. *n.* 3. eique subscribens Cremani *lib.* 2. *cap.* 4. *art.* 4. §. 5. *in not.* Impoliticum vero hujusmodi principium est ac summa cum cautela accipiendum. Doctores distinguunt inter reparabilem et irreparabilem prehensionis injustitiam. Poggi *lib.* 2. *loc. cit.* §. 91. Ast quæ in bene constituta civitate injustitia irreparabilis?

(4) Tunc jure romano impune resisteretur *Cod. lib.* 1. *tit.* 18. *leg. un. lib.* 10. *tit.* 1. *leg.* 5.

(5) Poggi *loc. cit.* §. 92. *in not.*

(6) Blackstone *Coment. on the laws of England B.* 4. *chapt.* 7. *n.* 3.

(7) *L.* 30. *nov.* 1786. §. 70.

§. II.

De carceris effractione.

§. 825. Si quis sive effractis muris aut foribus, sive conspiratione cum ceteris, qui in custodia erant, de carcere erumpit, jure romano ultimo afficitur supplicio (1). Quoniam autem de extraordinario crimine agebatur non semper pœna capitis irrogata fuit, sed res pro circumstantiis, et admissi qualitate arbitrio judicis relinqui solebat (2). Quod a nonnullis traditum est, non esse puniendum eum, qui injuste fuerat carceri inclusus, id legibus minime consentaneum videtur (3). Impune vero eos abire æquum est, qui conniventia vel negligentia custodum, et sine ulla violentia nec in res nec in personas evaserunt (4).

§. 826. Non solum, qui violenter eruperunt, puniuntur, sed etiam qui opem eis tulerunt, et custodes atque commentarienses, quorum aut fraudolentia, aut negligentia evaserunt (5). Apud nos fuga violenta a carceribus eximitioni æquiparatur, eademque pœna coercetur (6).

(1) *Dig. lib.* 47. *tit.* 18. *leg.* 1.
(2) Matth. *ad lib.* 47. *Dig. tit.* 16. *cap.* 4. *n.* 3.
(3) Matth. *loc. cit. n.* 4.
(4) Poggi *lib.* 2. *cap.* 17. §. 93. Gravius autem animadvertitur in eos qui in personas quam qui in res vim fecerint. Paoletti *Ist. Crim. theor. pract. vol.* 1. *p.* 123.
(5) *Dig. lib.* 48. *tit.* 3. *leg.* 8. 10.
(6) *L.* 30. *nov.* 1786. *art.* 103.

§. III.

De receptatione reorum.

§. 827. Huc quoque pertinent receptatores, pessimum hominum genus, qui facinorosis, eos celandi causa, in sua vel aliena domo receptaculum, et auxilium dolo malo præbent (1).

§. 828. Quia vero in receptatione dolus malus requiritur, caupo vel stabularius, qui hospitio subitario latrones recipit, excusatur: mitigatur pœna eis, qui affinem vel cognatum receperunt, atque in totum remittitur liberis atque parentibus, marito, atque uxori (2).

§. 829. Reorum receptatio jure romano crimen extraordinarium fuit, si casum excipias, quo cum receptatione criminis societas in receptante concurreret (§. 232.). Receptatio simplex extra ordinem vel corporali supplicio vel facultatum dispendio pro judicis æstimatione plectebatur (3).

---

(1) *Dig. lib.* 47. *tit.* 13. *leg.* 1.

(2) Matth. *ad lib.* 47. *Dig. tit.* 10. *cap.* 1. *n.* 3. Carpzov. *Pract. rer. crimin. part.* 3. *quæst.* 134. *n.* 52.

(3) Hac adhibita distinctione Matthæus legum varietatem quoad receptatorum pœnam conciliat *loc. cit. n.* 2. Aliam conciliationis rationem proposuit Nani *ad Matth. loc. cit. not.* 1. Antinomiam exhibet ipsa lex 1. *Cod. lib.* 9. *tit.* 39. quam ex duabus legibus conflasse Tribonianum apparet ex Cod. Theod. *lib.* 9. *tit.* 29. *ibique Gothofr.*

§. IV.

De pœnæ inobservantia.

§. 830. Cum de pœna agitur, cujus subitio a voluntate delinquentis pendet, ut accidit in exilio et relegatione, qui exilium vel relegationem frangit contra justitiam publicam peccat, novumque crimen committit (1), cujus pœna a lege statuitur nisi aliqua adsit justa causa, quæ inobservantiam excuset (2).

ART. IV.

DE DELICTIS CONTRA JUSTITIAM PUBLICAM PRIVATORUM QUOAD PRIVATOS.

§. 831. Nihil est, inquit Cicero, exitiosius civitatibus, nihil tamen contrarium juri et legibus, nihil minus civile et humanum, quam, composita et constituta republica, quidquam agi per vim (3). Cum leges ad jura unicuique servanda constitutæ sint, cum incorrupta magistratuum fides legum executioni prospiciat, leges magistratusque calumniari videntur qui suo lubitu, proprioque marte sua jura sibi vindicare præsumunt. Hinc publicæ adversantur justitiæ I. Jus sibimet propria auctoritate redditum. II. Carcer privatus. III. Duellum.

---

(1) Cremani *lib.* 2. *cap.* 4. *art.* 4. §. 6.
(2) Cod. Leopold. *art.* 58. Procedendi ordinem in eos, qui hujus criminis rei sunt, exhibet Paoletti *Istruz. e Formul. n.* 27.
(3) *De legib. lib.* 3. *cap.* 18.

§. I.

De jure sibimet propria auctoritate reddito.

§. 832. Hoc interest inter scopelismum (§. 747) atque jus propria privataque auctoritate vindicatum, discrimen, ut illud in alicujus mali interminatione, atque ut plurimum quin minarum auctor innotescat, consistit, hoc vero est violentiæ genus, quo quis jus suum, quod tale reapse erat aut quod ipse putabat, dummodo alio crimini color quæsitus haud sit, vel in res, vel in personas sibi obligatas, non implorato judicis officio, exequitur (1).

§. 833. Hujus excessus species sunt: I. Si quis debitori suo debitum per vim extorquere conatus fuerit (2). II. Si quis rem seu mobilem, seu immobilem, dum suam putat, vi possessori abstulerit (3). III. Si colonus finito locationis tempore migrare noluerit (4). IV. Si quis judicio finium regundorum pendente, partem controversam propria auctoritate occupaverit (5). V. Si quis domum debitoris vi intraverit, vel

---

(1) Vim non solum *coactivam* sed et *inductivam* ex defectu voluntatis spoliati hoc crimen constituere docet Paoletti *Inst. crim. th.or. pract. lib.* 3. *tit.* 2. Si de coactiva vi agatur crimen concussionis speciem assumit, quapropter criminis characterem nos in sola inductiva vi consistere dicimus.

(2) *Dig. lib.* 48. *tit.* 7. *l. pen. et lib.* 4. *tit.* 3. *leg.* 13.

(3) *Cod. lib.* 6. *tit.* 18. *leg.* 7.

(4) *Cod. loc. cit. leg.* 10.

(5) *Cod. lib.* 3. *tit.* 39. *leg.* 4.

signaculum ei imposuerit (1). VI. Si quis mortui debitoris cadaver funerari passus non fuerit (2). VII. Si quis jure crediti debitoris liberos in pignus aut servile ministerium abripiat (3). VIII. Si quis rebus suis vel sibi obligatis, quas alius possidet, antequam eas per judicis sententiam evicerit, titulum suum, vel signum imposuerit (4).

§. 834. Si ultimam speciem excipias, quæ publicatione bonorum vindicabatur (5) ac si tabula alieno prædio imposita esset confringebatur ad caput ejus, qui fecerat (6): ceteræ species et litis amissione, et æstimatione ejus, quod interfuit, jure romano coercebantur (7).

§. 835. Cum hoc crimine concussio im propria (§. 791.) aliquando concurrit, cujus species sunt: si quis prædio, quod possidet, ad deterrendum adversarium titulum potentioris imponat (8): si quis prædio suo aut alieno titulum Principis aut vela regia suspenderit (9). Horum

---

(1) *Novell.* 60. *cap.* 1. *in princ.*
(2) *Dict. nov.* 60.
(3) *Nov.* 52. *cap.* 1. *Nov.* 134. *cap.* 7.
(4) *Cod. lib.* 2. *tit.* 17. *leg.* 1. 2. *Novell.* 17. *cap. ult.* Hanc ultimam speciem ad scopelismum refert Matthæus ad *lib.* 47. *Dig. tit.* 5. *cap.* 2. *n.* 4. procul dubio similitudine ductus inter eum qui titulos et signa, eumque qui lapides in agro imposuit: ceteras vero tamquam vis privatæ species enumerat *ad lib.* 48. *Dig. tit.* 4. *cap.* 3. *n.* 3.
(5) Matth. *ad lib.* 47. *Dig. tit.* 5. *cap.* 2. *n.* 4.
(6) *Nov.* 28. *cap.* 5.
(7) Matth. *ad lib.* 48. *Dig. tit.* 4. *cap.* 3. *n.* 3.
(8) *Cod. lib.* 2. *tit.* 17. *leg. un.*
(9) *Cod. lib. cit. tit.* 16. *leg.* 1. 2.

excessuum pœna fuit justæ litis amissio ,et si lis injusta fuerit plumbatarum cæsio et in metallum damnatio. Si concussio Principis insignia affectaverit, plebeii extremo afficiebantur supplicio, honestiores deportabantur, libertate etiam amissa (1).

§. 836. Praxis apud nos, habita circumstantiarum criminisque momenti ratione, extra ordinem in reos præter pecuniæ, et rei creditæ amissionem animadvertit (2). Attamen æquitatis naturalis regulæ exposcunt ut jus sibimet propria auctoritate vindicatum, si personæ nulla læsio intercesserit nec scopelismi aut concussionis maculam præseferat, veniam obtineat ubi judicis copia haud suppetit, atque in mora adsit periculum (3).

§. II.

De Carcere privato.

§. 837. Privati carceris rei sunt qui nec jurisdictionem nec imperium habentes hominem vel compedibus vel alio quovis modo vinctum, vel

---

(1) Matth. *ad lib.* 47. *Dig. tit.* 5. *cap.* 2. *n.* 4. qui Scopelismo adfinia hæc esse contendit.

(2) Paoletti *Inst. crim. theor. pract. lib.* 3. *tit.* 3. qui casum a Leg. 30. *nov.* 1786. omissum ad normam legis 15. *jan.* 1744. §. 5. componit. Hanc ultimam legem Scopelismum respicere jam supra animadversum est §. 730. *not. f.* Jus sibimet redditum ad vis privatæ species, quæ jure romano sola litis amissione plectebantur, aptius refertur.

(3) Bartol. *in leg. generaliter Cod. de Decurion n.* 1.

si non vinctum clausum contra illius voluntatem retinent (1). Hinc privatus carcer aut *vere* aut *per similitudinem* haberi potest: vere si locum undique septum ad continendos homines vel puniendos quis struxerit, quod inter cetera magistratuum insignia, et symbola fuit (2): per similitudinem si quis hominem vinciat, vel si non vinctum domi suæ vel opera servorum clausum detineat (3).

§. 838. Hæc ad factum spectant. Ad faciendi causam quod attinet, eo consilio id actum fuisse oportet, ut quis jus sibi dicat, auctoritatemque, quæ solis magistratibus competat, usurpet (4).

§. 839. Hinc in privati carceris crimen non incidunt I. parentes et domini si filium aut servum modicæ coercitionis gratia inclusum habuerint (5): II. maritus, qui adulterum cum uxore deprehensum domi suæ retinet aut reductum ubi prius deprehendisset horis XX. diurnis, nocturnisque continuis rei testandæ, et probandæ causa (6): III. qui furiosum contineat (7): IV. Stationarii, qui ad reos eruendos mittuntur, quibusque ob locorum distantiam spatium aliquod

---

(1) Poggi *lib.* 2. *cap.* 18. §. 97. Paoletti *lib.* 3. *tit.* 6.
(2) Gothofred. *coment. ad Cod. Theod. lib.* 4. *tit.* 11. *pag.* 82. *col.* 1.
(3) *Dig. lib.* 1. *tit.* 4. *l.* 9. Paoletti *loc. supr. cit.*
(4) Poggi *lib.* 2. *loc. cit.*
(5) Arg. *l.* 3. §. 4. *Cod. lib.* 8. *tit.* 8. Cinus *in L.* 1. *Cod. lib.* 9. *tit.* 5.
(6) *Dig. lib.* 48. *tit.* 5. *l.* 25.
(7) *Dig. lib.* 1. *tit.* 18. *l.* 13. §. 1.

ad exhibendos captivos conceditur, quamvis apud se custodias habere prohibeantur (1): V. qui latronem, maleficum, furem nocturnum, agrorumque depopulatorem retinent ut illum illico offerant judici (2).

§. 840. Olim qui privati carceris exercebant custodiam tamquam læsæ majestatis rei ultimo afficiebantur supplicio, eorumque bona omnia Fisco cedebant (3). Justinianus pœnam mitigavit, præcepitque ut reus litem, propter quam adversarium cohibuerat, amitteret, ac carceri publico manciperetur tot diebus quot privatum exercuerat (4). Hodie hoc crimen extra ordinem puniri de consuetudine testantur doctores, exilio nempe vel facultatum dispendio (5).

§. III.

De Duello.

§. 841. Si cives, acceptis injuriis, ad arma

---

(1) *Cod. lib.* 2. *tit.* 58. *leg.* 2. *et tit.* 23. *leg.* 1.

(2) *Cod. lib.* 9. *tit.* 39. *leg.* 21. *et tit.* 18. *leg. pen.* non autem ut fur ablata restituat ut contra pragmaticos docet Cl. Poggi *lib.* 2. *cap.* 18. §. 98. *ex leg.* 11. *Nov.* 1629. *et l.* 9. *sept.* 1681. §. 25.

(3) *Cod. lib.* 9. *tit.* 5. *leg.* 1. Hoc fictitii criminis majestatis exemplum vocat Jacob. Gothofr. *coment. ad Cod. Theod. lib.* 9. *tit.* 11. Supplitii acerbitas, quæ Zenonem et Theodosium auctores habuit, ad Dioecesim Aegyptiacam seu Alexandrinam pertinuit. Namque Alexandria seditionum nutricula ferme erat. Gothofr. *loc. cit.*

(4) *Cod. dict. lib. leg.* 2.

(5) Paoletti *Inst. crim. theor. pract. lib.* 3. *tit.* 6.

prosilire impune possent, ac vicissim sibi bellum indicere, irritum sane esset summum imperium, et privata bella reviviscerent, quæ medii ævi gliscente barbarie societatem, humanitatemque ipsam prope ad ultimum fatum miserrime perduxerunt (1).

§. 842. Singularia igitur certamina, et ut ajunt duella merito tamquam publica infortunia considerantur, et a legibus quantum fieri potest a civitate arcenda sunt (2).

§. 843. Duellum definitur *certamen, quod duo titulo reparandi honoris, missis ultro, citroque libellis, ad locum, et diem certum convenientes armis lethiferis a provocato electis committunt* (3). Hinc tria simul concurrant oportet ut duellum dici possit: I. provocâtio expresse ab altero facta, et ab altero acceptata: II. locus pugnæ speciatim designatus, certaque dies, et hora definita: III. armorum lethiferorum electio, quibus non concurrentibus, rixa potius quam duellum vocatur (4). Duelli participes dicuntur, iisdemque pœnis subjiciuntur mandantes, consulentes, internuncii, patrini, ac spectatores ipsi si cum possent non prohibuerint (5).

---

(1) Robertson *History of the Reign of Charl. V. Introd. sect.* 1. *not.* 21. Du Gange *Glossar. mediæ et inf. latinitat.* verbo *Tregu.*

(2) Pescatore *Saggio intorno diverse opinioni sopra i delitti e le pene cap.* 12. Poggi *lib.* 3. *cap.* 2. §. 25. *not.* 47.

(3) Cremani *lib.* 2. *cap.* 5. *art.* 10. §. 2. Poggi *lib.* 3. *cap.* 3. §. 25.

(4) Maffei *Scienza cavalleresca tit.* 2. *cap.* 5. Sainte Palaye *Memoires sur l' ancienne chevalerie.*

(5) Cremani *loc. supr. cit.*

§. 844. Duellum Græcis, et Romanis ignotum (1) præconceptis, exaltatisque honoris opinionibus tribuendum est (2). Frustra autem ad homicidia duellum refertur, nam etiamsi nec cædes nec vulnera intercesserint, crimen adest ubi tria jam supra exposita simul concurrant, ideoque rectius juris sibimet proprio marte redditi speciebus adnumeratur (3).

§. 845. Experientia rerum magistra satis docuit, pœnas utcumque asperrimas ad duelli furorem compescendum impares omnino fuisse (4). Quis enim aut infamiæ aut mortis gradus homini deterrendo sufficiet crimen admissuro, quod in pudoris macula sanguine abluenda, ac in mortis spretu consistit? (5)

---

(1) Pescatore *loc. supr. cit.*

(2) Audiguier *Le vrai, et ancien usage des duels. Paris* 1617.

(3) Vassellin *Theorie des pein. capit. pag.* 54. Bentham ea, qua pollet, sagacitate animadvertit, cædem in duello admissam characterem politicum haud præseferre, quæ ordinaria homicidia exhibent, eo quod homines quibus sympathia dominatur semper, homicidio non deterrentur, in quo dimicantes suum periculum penitus spernunt. Bentham *Traités de legisl. civ. et crim. vol.* 2. *pag.* 280.

(4) Alicubi apud fœderatas Americæ Septentrionalis gentes qui sibi duellum indicunt tamquam furiosi, lege nuper lata, habentur, ideoque a tutela, aliisque muneribus publicis arcentur. Pœnarum asperitatem criminis impunitatem peperisse animadvertit Pescatore *loc. supr. cit.*

(5) Communis interpretum schola inter provocantem et provocatum distinguit, quam distinctionem nimis acriter rejicit Matth. *ad lib.* 48. *Dig. tit.* 8. *cap.* 3.

§. 846. Olim in Hetruria hujus criminis rei tum perpetua infamia tum ultimo plectebantur supplicio, eorumque bona publicabantur (1). Si alter vero ira percitus alterum ad dimicandum provocasset, eodemque tempore ambo in pugnam ivissent hujusmodi provocationes judicis arbitrio extra ordinem plectebantur (2).

SECT. II.

DE DELICTIS POLITICO-CIVILIBUS (§. 133.).

CAP. I.

DE DELICTIS CONTRA CIVIUM SECURITATEM

§. 847. Omnia, quæ vel ad reipublicæ securitatem, vel publicam tranquillitatem, vel demum justitiam publicam fovendam, tuendamque, pœnalibus sanctionibus, constituta sunt, ad unum, eumdemque finem convergunt: illum scilicet, ut homini in civilem societatem adscito primæva naturæ jura sarta tectaque serventur, nec ab aliena aggressione violentur (3). Primæva vero naturæ jura id imperant ut alienæ, legitimæque

---

n. 9. Cl. Poggi sanctiones quamvis gravissimas in singulare certamen plane inefficaces nulliusque momenti ob præjudicatam de honore tuendo opinionem agnoscit *lib.* 2. *cap.* 3. §. 25. Conf. auct. *De' deliti e delle pene* §. 29. Filangieri *Scienza della legislazione lib.* 3. *part.* 4. *cap.* 51.

(1) Sabelli *Prax. univ.* verb. *Duelli n.* 1.

(2) Conf. legem latam *an.* 1744. §. 5.

(3) Cremani *lib.* 2. *cap.* 4. *art.* 11. *cap.* 5. §. 1.

partæ felicitati nil detrahatur injuste, cujus felicitatis quatuor esse elementa jamdiu observavimus (§. 294.) scilicet I. vitam II. corporis sanitatem, ac liberum usum III. bonam nominis æstimationem IV. res, quæ in patrimonio nostro sunt. Excessus omnes, qui hæc quatuor humanæ felicitatis elementa in alterius damnum destruunt, non solum societatis objecto adversantur, sed ipsa naturæ jura violant, atque subvertunt.

T I T. I.

DE DELICTIS CONTRA CIVIUM SECURITATEM QUOAD VITAM

Thematis expositio ac divisio.

§. 848. Hominis vita, motus videlicet ille, cujus indoles pene physiologis ignota (1) ab animæ cum corpore nexu proficiscitur, aut *natura* morbo senectute consumitur, aut *præter naturam* destruitur I. vel rerum anima carentium actione, quod *casus*, *fatale damnum* dicitur (2), II. aut a brutis animantibus quod *pauperies* nuncupatur (3), III. aut denique ab homine quod *homicidium* vocatur (4).

§. 849. Homicidium autem I. vel *injuria*,

---

(1) Richerand *Nouveaux elements de Phisiologie vol.* 1. *Proleg.* §. 5.

(2) Plato de legib. *Dialog.* 9. Poggi *lib.* 3. §. 2.

(3) *Dig. lib.* 9. *tit.* 1. *leg.* 1. §. 1.

(4) Strykius *Disp. de salute publica.*

II. vel *jure* admittitur. Quod injuria I. vel *pleno dolo*, II. vel *impetu*, III. vel *culpa*, IV vel *casu* patratur: quod jure I. vel *tolerantibus*, II. vel *præcipientibus* legibus locum habet: hinc homicidium dispescitur in I. *dolosum qualificatum*, II. *dolosum simplex*, III. *culposum* vel *casuale*, IV. *legitimum*, atque *legale*: quæ omnia singillatim explananda sunt.

ART. I.

DE HOMICIDIO QUALIFICATO, EJUSQUE VARIIS SPECIEBUS

Criminis definitio, atque explanatio.

§. 850. Homicidii crimen dicitur *cædes hominis ab homine injuste vel directim, vel indirectim patrata* (1), quod cum Romæ Sillæ temporibus *sica* (2) committi frequentius cœpisset, lata est lex Cornelia de sicariis, quæ hunc criminis titulum speciatim complectitur (3). Ut posita criminis definitio illustretur discutiendum

---

(1) Cremani *lib.* 2. *cap.* 5. §. 7. qui adverbia *directim et indirectim* omittit. Poggi *lib.* 2. §. 3.

(2) Erant sicæ, ut Cujacius observat, cultri parvi, qui clam ferebantur ut non opinantes confoderentur. Cujac. *in princ. tit. ad L. Corn. de sic.* quosque Athæneus dentibus aprorum comparat. Matth. *ad lib.* 48. *Dig. tit.* 5. *cap.* 1. *n.* 1.

(3) *Dig. lib.* 48. *tit.* 10. *Cod. lib.* 9. *tit.* 16. Legis Corneliæ plura fuerunt capita. Hic de eo tantum capite agitur, quod est de sicariis. Cremani *loc. cit.* §. 1. *not.* 1.

I. quid cædis injustæ nomine contineatur, II. quomodo vel directim, vel indirectim admitti possit, III. cur hominis ab homine dicendum?

§. 851. I. Generali cædis vocabulo omnia continentur, quibus adhibitis, anima ab hominis corpore eripitur. In lege Cornelia sica ponitur, ut armorum species nobilior atque usitatior (1), qua sicæ appellatione arma omnia comprehenduntur ad nocendum, atque interficiendum idonea (2); quin et si quis baculo (3), lapide (4), pugno (5), hominem interfecerit in legis Corneliæ censuram incidit (6): item si quis eunuchum fecerit (7).

§. 852. II. Vocem etiam sicarius esse quis potest, cum falsum testimonium in judicio capitali in innocentis perniciem dolo malo dixerit, vel cum magistratus esset innocentem inique damnaverit (8): vel alio quocumque modo morti causam præbuerit (9), vel naufragos supprimendo,

---

(1) Cremani *loc. cit.* §. 3.

(2) Cremani *loc. cit.*

(3) Carpzov *Prax. rer. crim. quæst.* 3. *n.* 19. *et seq.*

(4) Carpzov *loc. cit. n.* 46.

(5) Carpzov *loc. cit. n.* 40.

(6) Matth. *loc. cit. n.* 1. Hoc sane sensu Filangerius lectorem monet cur, ut ipse ait, *non ho parlato della bastonatura. Scienza della legisl. lib.* 3. *cap.* 51. *in fin. part.* 2. De homicidio *alapa* commisso disserit Carpzov *loc. cit. n.* 42,

(7) Matth. *loc. cit. n.* 2. ibique Nani *in suis animadv. not.* 2.

(8) Matth. *loc. cit. n.* 1.

(9) *Dig. lib.* 48. *tit.* 10. *leg.* 15.

vel dolo malo, ne navi aut periclitantibus succuratur, faciendo, vel denique hominem includendo abjiciendo ut fame pereat (1).

§. 853. III. Lex Cornelia non de certo hominum genere loquitur sed *ipsam humanitatem tuetur* (2), ideoque sub generali hominis vocabulo uterque sexus mas nempe, et fœmina intelligitur, nulla adhibita distinctione coloris, climatis, religionis, status, conditionis (3): ostentum quoque (4), monstrumque ipsum comprehenditur.

§. 854. Homicidium pleno dolo patratum qualificatum dicitur I. aut ob ipsam præmeditationem, quæ plenum dolum constituit, II. aut ob pravos, quibus committitur, modos, III. aut ob pravas causas, quibus impulsus quis hominem necat, IV. aut ob sanguinis vinculum, quod inter occisum, et occidentem intercedebat.

§. I.

De homicidio a præmeditatione qualificato.

§. 855. Præmeditatio, cum nihil aliud sit quam plene ac perfecta delinquendi intentio (§. 90.) definitur *occidendi propositum frigido, pacatoque animo susceptum moram habens, at-*

---

(1) Matth. *loc. cit.*

(2) *Dig. lib.* 48. *tit.* 2. *leg.* 12. §. *ult.*

(3) Argum. *l.* 1. §. 7. *Dig. lib.* 48. *tit.* 10. Cremani *loc. cit.* §. 7.

(4) Quomodo ostentum a monstro differat docet Matth. *loc. cit. n.* 6.

que occasionem quærens, ut crimen veluti exoptatum finem perficiat (1).

§. 856. Sunt qui præmeditationem in *puram* et *conditionalem* dispescunt: puram præmeditationem dicunt, quæ nobis supra definita est: conditionalem, quæ ita delinquendi propositum præsefert si is, cui mors interminatur, id agat, quod interminantis iram vel dolorem concitat (2), quæ distinctio non omnibus placet (3).

§. 857. Homicidii deliberati pœna ex lege Cornelia de sicariis olim aquæ et ignis interdictio, in cujus locum deportatio successit, et bonorum publicatio fuit (4). Deinde honestiores in insulam deportari, humiliores bestiis cœperunt objici (5); demum omnibus tam honestioribus, quam humilioribus capitis pœna præstituta fuit (6). Apud nos præmeditatæ cædis, et qualificati homicidii rei ad mortem cum infamia conjunctam damnantur (7).

§. II.

De homicidio a pravis, quibus admittitur, modis qualificato.

§. 858. Omnia sane, quorum ope homo ho-

---

(1) Clar. *Sentent. lib.* 5. §. *homicidium n.* 1.

(2) Raynald *Obs. crim. cap.* 7. *n.* 114.

(3) Grasset *Anat. nec. prodit.* §. 23. *n.* 86. Poggi *lib.* 3. *cap.* 4. §. 33.

(4) Paul. *lib.* 5. *sent. tit.* 23. §. 1. Nani *ad Matth. loc. supr. cit. cap.* 3. *n.* 1. *not.* 1.

(5) *Dig. lib.* 48. *tit.* 10. *leg.* 3. §. *pen.*

(6) *Inst. lib.* 4. *tit.* 18. §. *item lex Cornelia. Cod. lib.* 9. *tit.* 13. *leg. un. et lib.* 1. *tit.* 4. *leg.* 3. §. *pa-tiatur.*

(7) *L.* 30. *aug.* 1795. §. 13.

minem injuste obtruncat, prava suapte natura sunt. Attamen nequiores, improbioresque cædis patrandæ modi ii sunt, quibus major ex occidentis parte fraudolentia inest, ideoque majus in eum, cui mors imminet, periculum. Huc pertinent I. proditio, II. insidiæ, III. venenum.

N. I.

De homicidio proditorio.

§. 859. Homicidium *proditorium* est, quod sub specie et colore fidei, amicitiæ, subjectionis, gratiæ, vel inimicitiæ dissimulatione committitur (1). Cum non tantum simulata fides et amicitia, sed et inimicitiæ dissimulatio criminis qualitatem peculiariter constituat, hinc proditione tenetur inimicus si eum occidit, cum quo post acceptam injuriam solemnis et expressa reconciliatio intercesserat (2). Generaliter tenentur omnes, qui quemcumque occidunt, quem in fidem custodiamque suam receperunt, vel quem sub prætextu itineris, ludi, mensæ, callidi circumvenire, et in opportunum abditumque locum trahere consulto maluerunt (3): eo non excepto, qui salutatum aliquem accedens illum obtruncat (4). Amicus tamen, qui amicum in rixa occidit, homicidii proditorii reus non est (5).

---

(1) Poggi *lib.* 2. *cap.* 4. §. 3. *et auct. in not. cit.*
(2) Renazzi *lib.* 4. *part.* 4. *cap.* 2. §. 3.
(3) De Angelis *De delictis part.* 1. *cap.* 66. *n.* 19.
(4) De Angelis *loc. cit.*
(5) Cremani *lib.* 2. *cap.* 5. *art.* 2. §. 7.

N. 2.

De homicidio insidioso.

§. 860. Perperam nonnulli *insidiatorem* cum proditore confundunt (1). Insidiator enim delitescit in loco occulto, et clam adhibitisque insidiis, quæ nullo pacto præcaveri aut cognosci possunt, incautum inimicum interimit. Proditor autem in subsidium amicitiam vocat, ut majores perficiendi sceleris copiæ suppetant. In hac specie fallacia fidei, in altera occulta tantum aggressio concurrit (2).

§. 861. Cum occultatio ad facilius alterum perimendum adhibita insidias in homicidio constituat, illud insidiosum faciunt quædam armorum genera, quibus cædes, et facilius, et occultius committi potest, veluti sunt brevis mensuræ cultri, sicæ, ignea arma (3).

N. 3.

De veneficio.

§. 862. Inter insidiosa homicidia principem si-

---

(1) Simonius omne insidiosum homicidium proditorium esse contendit, insidiasque in *positivas* et *negativas* distinguit. *Delitti di mero affetto part.* 2. *cap.* 11. §. 5.

(2) Bartolus *in leg. respiciendum* §. *delinquunt Dig. de pœnis.* Hinc amicus, qui amicum personatus occidit, insidiis non proditione tenetur.

(3) Cremani *lib.* 2. *cap.* 5. *art.* 3. §. 5. Quæ sint arma brevis mensuræ docet Paoletti *Inst. crim. theor.*

bi locum vindicat veneficium, ideoque a legibus, *nominatim* coercetur (1). Quoad hoc crimen ordinis ratio, reique momentum exposcit ut singillatim discutiamus I. quid sit venenum, ejusque species quotuplices, II. in quo veneficium consistat et quoad delinquentis intentionem, et quoad delicti executionem, III. quomodo crimen probandum sit.

§. 863. I. Venenum est quod adhibitum naturam ejus, cui adhibitum est, mutat (2): adeout vel *medendi*, si *bonum* sit, vel *necandi* si malum, vim habeat, verbumque medii generis, atque ancipitis significationis est (3). Venenum malum est *quod per exiguam dosim corpori humano ingestum aut extus aplicatum vi quadam peculiari mortem causat* (4). Venena ma-

---

pract. vol. 1. *pag.* 163. Quoad eorum usum in homicidio conf. *L.* 30. *nov.* 1786. §. 102. De homicidio bombardis patrato disserit Carpzov. *Pract. rer. crim. part.* 1. *quæst.* 3. *n.* 23.

(1) Carpzov. *quæst.* 20. *n.* 10. 11. qui tamen illud proditionem appellat *n.* 12.

(2) *Dig. lib.* 48. *tit.* 16. *leg.* 6. Renazzi *lib.* 4. *part.* 4. *cap.* 4. §. 1.

(3) Matth. *ad lib.* 48. *Dig. tit.* 5. *cap.* 5. *n.* 1. Gemlin ap. Mahon *Medicina legale ex traduct. Joseph. Chiappari in not. vol.* 3. *pag.* 95.

(4) Plenk *Toxicologia*, qui inter veneni mali effectus *gravem* etiam *morbum* comprehendit. Mead *Mechan. expos. venen.* Plato *De legibus Dial.* 2. Hinc quoniam fere omnia venena si certis dosibus administrentur non mortis sed medelæ causa dari possint, non defuere qui venenorum in natura existentiam inficiati sunt. Alibert *Nouveaux elements de Terapeutique vol.* 2. quem refellere aggressus est Cl. Barzellotti *Medicina legale lib.* 4. *tit.* 4. §. 240.

la multipliciter dispescuntur I. vel ratione modi, quo in humanum corpus ingrediuntur, suntque vel *ingenita*, quæ nobiscum nascuntur et crescunt (1), vel *adquisita*, quæ facto nostro non alieno acquiruntur, vel culpa vel casu (2), vel *propinata*, quæ nobis a scelesto homine porriguntur (3). II. Aut ipsorum venenorum natura, suntque *mineralia* (4), *vegetabilia* (5),

---

(1) Conf. Friderici Hoffman *Dissert. de bile medicina atque veneno corporis humani.* De humanis lumbricis, qui mortem veneficio similem afferunt Conf. Mahon *Medicina legale ex traduct. supr. laud. vol.* 3. §. 23. *et not.* 5.

(2) Utpote sunt vermes, qui in herbis, frumentis latent: boleti: Conf. Athæn. *lib.* 2. *cap.* 22. qui Emparchidis Euripidis epigramma refert tumulo matris, triumque filiorum inscriptum, qui boletorum veneno perierant. Ad venena adquisita æruga quoque utplurimum pertinet. Conf. Mauchart *Dissert. mors in olla* et Thierry *Dissert. ab omni re cibaria vasa aenea prorsus ablegand*a.

(3) Zacchiæ *Quæst. medic. legal. lib.* 2. *tit.* 2. *quæst.* 1. Inter propinata venena illa etiam recensenda sunt, quæ vulneribus in corpus hominis infunduntur: unde Virgilius

„ *Ungere tela manu, ferrumque armare veneno* „ De venenatis sagittis erudite disseruit Cl. Paw *Recherch. philosophiq. sur les americains vol.* 2. *sect.* 3.

(4) Veluti sunt, mercuriales, arsenicales, antimoniales substantiæ. Barzellotti *Medicin. legale vol.* 2. *pag.* 81. *et seqq.* Aqua quam *Tefanicam* vocant arsenicalis solutio est adeo pellucida ut ab ea sibi cavere difficillimum sit. Vaccà *Cod. Elem. di medic. prat. vol.* 2. *pag.* 50. Pitaval *Caus. celeb. v.* 1. *p.* 308. Mead in sua *de venenis* disertatione aliam aquæ speciem memorat, cujus sola effluvia morti inferendæ idonea sunt. Mahon *loc. supr. cit. pag.* 125.

(5) Barzellotti *loc. cit. cap.* 5. *quæst.* 5.

animalia (1). III. Aut ratione modi, quo in corpus humanum influunt, suntque vel *corrosiva*, quæ viscera corrodunt, vel *obstruentia*, quæ vasa ut plurimum obstruunt, vel *narcotica*, quæ stuporem sensibus afferunt (2). IV. Aut denique ratione effectus, quem gignunt, suntque vel *lethalia* vel *non lethalia*: *lethaliaque*, aut *cronica*, quæ lente aut *acuta*, quæ cito mortem pariunt (3).

§. 864. II. Veneficium dicitur *cædes hominis sequuta ob venenum malum ab altero ei consulto porrectum* (4). Hinc definitio venena ingenita atque adquisita excludit, atque inter propinata ea tantum comprehendit I. quæ morti inferendæ idonea sunt, II. quæque *dolo* non culpa porriguntur.

§. 865. Ex quibus colligitur, ut quamvis in *porrectiva* materia, quam vocant, lethalis inesset qualitas et tamen qui eam dedit, id hominis necandi causa haud fecerit, vel si occidendi animus in propinante extiterit, materies eo consilio alteri data lethalis minime fuerit, frustra de vero ac perfecto veneficio quæreretur (5).

---

(1) Barzellotti *loc. cit. cap.* 6. *quæst.* 6.

(2) Uberiorem hoc sensu venenorum divisionem suppeditat Foderè *Medicin. legal. vol.* 4. §. 242. *edict.* 2. cui adsentitur Orfila *Tossicologia generale sotto i rapporti della fisiologia, patologia, e Medicina legale vol.* 1. apud Barzellotti *op. supr. cit. vol.* 2. *pag.* 16.

(3) Conf. Dionys. Gothofred. *ad leg.* 3. *tit.* 8. *lib.* 48. *Dig.*

(4) Cremani *lib.* 2. *cap.* 5. *art.* 1. §. 1.

(5) Paoletti *vol.* 1. *lib.* 3. *tit.* 11. *pag.* 183.

§. 866. Dolo igitur non culpa crimen contrahitur, nec qui culpa venenum malum alteri præbent veneficis adnumerandi sunt, ideoque nec pigmentarii si cui temere cicutam (1) salamandram (2) aconitum (3) dederint (4): nec medici, quibus, teste Plinio, homines occidisse impunitas summa (5).

§. 867. Quia vero allata veneficii definitio mortem subsequutam commemorat, conatus in eo, quidquid aliter romanæ leges statuerint (6), ve-

---

(1) Quoad cicutam, de qua *l.* 3. *tit.* 8. *lib.* 48. *Dig.* non de *virosa* sed de *conio maculato* cicutæ specie intelligendum est; coniumque maculatum cicutam veterum fuisse, qua ad mortem reis irrogandam Areopagus utebatur, conjectat Stork *Dissertation sur la propriété de la cigue.*

(2) Salamandram memorat IC. in *l.* 3. §. 3. *Dig. tit.* 8. *lib.* 48. cui tantum rigorem esse scriptum fuit, ut ignem tactu extingueret Plin. *lib.* 10. *cap.* 67. Discors. *lib.* 2. Salamandram, nec igneam, nec venenosam esse satis constat. Mandragora, de qua dicta lex, herba quidem venenosa est: multa tamen quoad illius figuram, et magicas qualitates popello venditant circumforanei. Rozier *Cours complet d' agric.*

(3) *Aconitum napellum* venenum haud esse asseruit Mahon *La Medecin. legal. vol.* 2. ast inter potentiora vegetabilia venena illud adnumerat Wepfer apud *cit. op. traduct. vol.* 3. *pag.* 182. *not.* 21. Illud memorat *cit. l.* 3. *tit.* 8. *lib.* 48. *Dig.*

(4) Attamen ex SC. veneficii rei efficiebantur et in quinto legis Corneliæ capite comprehenduntur. Matth. *loc. cit.* Ad pocula sterilitatis, abortionis, conceptionis, amoris quod attinet Conf. Mahon *loc. cit. ex laud. traduct. not.* 23. Renazzi *lib.* 4. *part.* 4. *cap.* 4. §. 5. Cremani *lib.* 2. *cap.* 5. *art.* 1. §. 4.

(5) Plin. *lib.* 29. *cap.* 1.

(6) *Dig. lib.* 48. *tit.* 9. *l.* 1. *in fin. tit.* 10. *leg.* 1. §. 1. *leg.* 3. *in princ. et* §. 1.

luti perfectum, consummatumque crimen haberi nou potest (1).

§. 868. III. Sapienter admodum accuratiores inter juris nostri pragmaticos docent, numquam nimiam diffidentiam esse, qua quis hujus criminis corpus explorandum (§. 560.) ejusque probationes pensitandas aggreditur (2). Hujusmodi namque probationes concludant oportet 1. veneni vel præsentiam vel signa indubitata 2. illius qualitatem, ut ingeniti vel adquisiti possibilitas excludatur 3. illud morti causam præbuisse. Quæ omnia sedulo investiganda sunt priusquam de propinatione in certum hominem suscipiatur inquisitio.

§. 869. 1. Veneficii vestigia in hominis corpore vel vivente adhuc vel jam extincto perquirere medicorum officium est. Veneficii signa in eo, qui adhuc vivit, errori utplurimum obnoxia sunt (3). Satius veneficii effectus in defuncti cadavere perquiruntur (4), quo secto, si materies adsit, quæ venefica dicitur, ea vel ope *analyseos* a Chemiæ peritis (5) vel experimento, quod *canis* vocant (6), diligenter exploratur.

§. 870. Cum venenum *arsenicum* non fuerit vel aliud quodcumque minerale, quod fluidorum

---

(1) Poggi *loc. cit.* §. 71.

(2) Paoletti *loc. supr. citat. pag.* 175.

(3) Mahon *Medecin. legal. vol.* 3. *pag.* 100. Barzellotti *Medicin. legal.* §. 254. *et seqq.*

(4) Barzellotti *loc. cit.* §. 280.

(5) Barzellotti *loc. supr. cit.* §. 286.

(6) Poggi *loc. cit.* §. 66. Paoletti *Istruz. e Formul.* §. 4. Hujusmodi vero experimentum tamquam fallacissimum rejicit Mahon *Medecin. legal. vol.* 3. *pag.* 150.

ectione dissolvi nequeat, resque a veneni effectibus sit dignoscenda, periculosæ plenum opus aleæ hujusmodi disquisitio est (1).

§. 871. 2. Quamvis enim veneficii certissima adsint signa, quoniam tam ingeniti quam propinati fere eadem in humano corpore sunt, nulla certa adest ratio, qua nobis exploratum sit utrum hoc vel alterum morti causam præbuerit (2).

§. 872. 3. Neque vero statim ac de præsentia veneni ejusque signis constet, illico pronunciandum veneficii corpus ulteriori probatione non indigere. Superest enim ut investigemus an reapse veneno mors inde sequuta tribui possit, ne nimis temere in tam gravi negocio sententiam feramus (3).

§. 873. Jure romano veneficii crimen ad quintum caput legis Corneliæ de sicariis pertinebat (4), et quasi maleficii genus ad titulum de maleficis et mathematicis trahebatur (5): vindicabatur autem ultimo supplicio (6), quod et apud nos obtinet (7).

---

(1) Mahon *loc. cit. pag.* 148. Orfila *Toxicologia etc. vol.* 4. *pag.* 248.

(2) Conf. exempla adquisiti veneni, quod tamquam propinatum vehementissime in certum hominem suspicabatur. Paoletti *loc. supr. cit. pag.* 180.

(3) Renazzi *loc. supr. cit.* §. 7. Præsertim vero si non de acuto, sed cronico veneno agatur. Mahon *loc. cit. pag.* 160.

(4) Marcian. *in leg.* 3. *tit.* 10. *lib.* 48. *Dig.*

(5) *Cod. lib.* 9. *tit.* 18.

(6) Paul. *lib.* 5. *sentent. tit.* 23. *in princ. Dig. lib.* 48. *tit.* 19. *leg.* 28. §. 9.

(7) *L.* 30. *aug.* 1796. §. 13.

§. III.

De homicidio a pravis causis qualificato.

§. 874. Causa quidem graviora redduntur homicidia si hujusmodi causa ejus indolis sit, quæ frequentior, faciliorque scelesti hominis manum armare quodammodo possit (1). Tunc enim in animis civium ex commisso crimine maxima exoritur commotio, eo quod quisque sibi par infortunium facilius obventurum pertimescit (2). Istiusmodi causa deprehenditur I. in latrocinio, II. in assassinio.

N. 1.

De latrocinio.

§. 875. Latrocinium est *cædes hominis lucri, commodique causa patrata* (3). Quoniam in latrocinio duo simul delicta concurrunt, *homicidium* nempe et *furtum* (4), quorum hoc

---

(1) Conf. Bentham *Traités de legisl. civil. et crim. vol.* 2. *pag.* 262. *chap. de l' Influence des motifs sur la grandeur de l' alarme.* Causæ defectus de quo loquuti jam sumus §. 246. *not.* 2. ad probationem potiusquam ad imputationem criminis pertinet: ideoque forense adagium invaluit, quod si de cæde admissa liquido constet quin cædis causa innotescat, pravitas rei proportionis defectum impleverit. Poggi *lib.* 3. *cap.* 4. §. 31.

(2) Bentham *loc. cit.*

(3) Cremani *lib.* 2. *cap.* 5. *art.* 5. §. 1.

(4) Paoletti *Inst. crimin. theor. pract. lib.* 3. *tit.* 16.

finis, alterum actionis *effectus* est, atque idcirco crimen tam *objective* quoad finem tam *subjective* quoad effectum inspici potest (§. 189), nobis inquirendum est I. quæ lucri species crimen objective consideratum constituat, II. quando, si subjective homicidium et furtum concurrant, objective tamen alterum ab altero disjunctum dicendum sit ita ut frustra de latrocinio quæratur, III. quomodo in hoc crimine æstimandus conatus.

§. 876. I. Lucrum, quod ex hominis cæde speratur, ingens sit aut exiguum (1), præsens vel futurum (2), vel in pecunia numerata consistat vel in alia appetibili re, vel demum in quovis commodo captando, vel vitando incommodo, quod sine occisi culpa occisorem manebat, criminis titulum non immutat (3).

§. 877. Parum autem interest utrum publica in via, vel ædibus privatis crimen admissum sit (4): utrum cum furandi, commodive captandi proposito odia vel inimicitiæ concurrant. Suf-

---

(1) Carpzov *Pract. rer. crimin. Part.* 1. *quæst* 22. *n.* 9.

(2) Singulare exemplum Carpzovius exhibet in iis, qui prægnantes mulieres adoriuntur, uteros secant, fœtus dissecant, eos cera cooperiunt, et lycnos faciunt, iis accensis usuri, ubi furari constituerunt putantes, eos minime experrecturos, quibus furaturi sunt *Part.* 1. *quæst.* 22. *n.* 59.

(3) Cremani *lib.* 2. *cap.* 5. *art.* 5. Hinc latrocinium est si quis alterum occidat ut cum ejus vidua matrimonium contrahat, vel stupratam obtruncet ut stupri vestigia supprimat. Boehmer *ad Carpzov. quæst.* 22. *obs.* 6.

(4) Boehmer *loc. cit. obs.* 3.

ficit enim ad crimen constituendum ut furtum quamvis non causa finalis, saltem impulsiva criminis fuerit (1).

§. 878. II. Quoniam criminis indoles in eo consistit, quod homicidium *medium* sit vel ad furtum faciendum, vel ad commodum assequendum, agentis intentio sedulo exploranda est ut dignoscatur, homicidio et furto simul concurrentibus, utrum memorata *finis* cum *medio* conjunctio reapse existat nec ne, qua non intercedente, crimen vel in *furtum cum homicidio*, vel in *homicidium cum furto* abit omnino.

§. 879. Si quis furaturus tantum ac de homicidio minime cogitans aliquem adoriatur, furatusque vel ira percitus, vel ad res suas vindicandas furem in summum vitæ discrimen projiciat ita ut is non ad rem subtractam auferendam nec ad criminis supprimenda vestigia, sed ad se defendendum tantum hominem occiderit, non latrocinii sed furti et homicidii interfector tenebitur (2). Iterum si quis, admisso improviso homicidio, furandi occasione arrepta, occisum spoliaverit, separata homicidii et furti actione coercebitur (3). Quia vero accidere potest ut quis furtum admiserit, alter homicidium, non illico et semper ab uno ad alterum crimen argumentari licet (4).

§. 880. III. Conatus prius dignoscendus antequam metiendus, æstimandusque est (§. 191.)

---

(1) Poggi *lib.* 3. *cap.* 11. §. 84.
(2) Poggi *lib.* 3. *cap.* 11. §. 82.
(3) Poggi *loc. cit.* §. 84.
(4) Poggi *loc. cit.* §. 90. Paoletti *lib.* 3. *tit.* 16.

ne cum eo confundantur, quæ quamvis prima fronte conatus videantur, talia reapse non sunt.

§. 881. Quia latrocinii indoles in cæde ad furtum præordinata consistit (§. 874.) oportet vel ut cædes attentata sit, vel cædi apta instrumenta cum furto concurrant. Hinc si scelestus homo alterum aggrediatur, illumque spoliet quin tamen arma vel instrumenta morti inferendæ idonea habuerit, de vi bonorum raptorum non de latrocinio agendum erit (1). Ita fere dicendum si aggressor arma quidem habuerit, iis tamen usus non sit, solumque ad hominem spoliandum armorum conspectu terrorem injecerit: tunc enim concussio vel grassatio erit non latrocinium (2).

§. 882. Si armorum usus ad furtum faciendum intercesserit, criminis conatus multiplicem praxim exhibet: I. aut enim aggressio cum vulnere aut indifferenti aut periculoso aut lethali, spoliumque accidit: II. aut vulnus absque spolio: III. aut cædes quin latro occisum spoliare potuerit: IV. aut spolium sine vulnere (3).

§. 883. Alibi observatum est, cum duo delicta simul concurrunt, quorum alterum levius, al-

---

(1) Poggi *lib.* 3. *cap.* 11. §. 86.

(2) *Dig. lib.* 4. *tit.* 2. *leg.* 14. §. *qui vim.* Argumenta, quæ in contrarium a Matthæo afferuntur *lib.* 47. *tit.* 2. *cap.* 3. *n.* 2. cui subscribit Cremani *lib.* 2. *cap.* 5. *art.* 5. §. 5. nullius ponderis sunt, legibus nostris inspectis, quæ concussionem simplicem a latrocinio, et grassatione distinguunt *l.* 30. *nov.* 1786. *art.* 76. *l.* 30. *aug.* 1795. *art.* 19. *n.* 3. conf. Carpzov *quæst.* 22. *n.* 13.

(3) Tres distinctiones affert Boehmer *ad Carpzov. quæst.* 22, *obs.* 7. quæ non omnes tamen ad latrocinii conatum referri possunt.

terum gravius sit, graviorem pœnam semper graviori crimini aptandam, ne lex scelestis hominibus graviora facinora committendi ansam quodammodo præbeant (§. 323). Si adductis praxibus allata applicetur regula, nemo ambiget, in latrocinio criminis conatum, vel consummationem non in furto sed in cæde semper considerandam esse (1).

§. 884. Nihil de iis, qui privatim latrocinium admittunt, peculiariter Romanæ leges constituunt (2), sed eorum tantum rationem habent, qui in viis publicis grassantur : similitudo vero criminis similitudinem supplicii postulare videtur. Publici latrones capitis pœna plectuntur (3).

N. 2.

De Assassinio.

§. 885. Assassinium est *homicidium ab eo commissum qui ad hoc vel mandatum suscepit, vel mercede conductus fuit* (4). Mandans vel operæ conductor *assassinus* in specie, mandatarius vel locator *assassinator* dicitur (5).

---

(1) Conf. quæ sapienter animadvertit Cl. Poggi *loc. supr. cit.* §. 86. Disc. *l.* 22. *jun.* 1816. quæ tamen pro re nata lata fuisse videtur. Conc. *l.* 3. *aug.* 1795. *art.* 13.

(2) Boehmer *Elem. jurispr. crimin. sect.* 2. *cap.* 17. §. 226.

(3) *Dig. lib.* 48. *tit.* 19. *l.* 18. §. *famosos*.

(4) Kemmerik *Sinops. jur. crimin. lib.* 2. *tit.* 4. §. 7. qui tamen de locatore operarum tantum non de mandatario loquitur, vide infra §. 866. *et* 868.

(5) Jodoc. Damhoud. *Prax. crimin. c.* 83. *n.* 4.

§. 886. Mandatæ cædis exempla in juris romani libris occurrunt (1): assassinii vero nomen juri civili ignotum Jus Canonicum primum usurpavit (2). Nominis origo ab Assassinis Asiæ populis vulgo deducitur, qui Muhamedis superstitionibus æstuantes *Arsacidis* seu *Montis Senis*, quem ducem habebant, mandato atque jussu Cruce-signatos, simulato Christifidelium nomine, perfodere consueverunt (3). Hujusmodi facinoris labes Cruce-signatos ipsos infecit, atque ad Italiam porrecta sensim longe lateque pervagavit, adeout ad eam compescendam gravissimis pœnis a Romano Pontifice in assassinos animadversum est (4). Quamvis juris Pontificii in assassinium sanctiones christianos tantum respiciant (5), attamen cum lex Cornelia humanitatem non certum hominem tueatur (852) assassinium dicitur etiamsi paganus non christianus occisus fuerit (6). Hinc assassinii in scholis orta distinctio in *proprium* cum infidelis christianum obtruncat, atque *improprium*, *interpretativum*, *fictum* cum christianus christianum interimit (7).

---

(1) Poggi *lib.* 3. *cap.* 10. §. 72. *not.* 5.

(2) Caravita *Inst. crim. lib.* 1. §. 3. *cap.* 37. *n.* 24. Ducange *in Gloss. med. et inf. latin.* verb. *assassinium.*

(3) Decian. *Pract. crim. part.* 2. *lib.* 9. *c.* 30. Sunt qui assassinium a scindendo dicunt, quod scilicet animam a corpore scindat. Carrer. *Pract. crim.* §. 5. *n.* 3. exemplo ejus qui vocem *alphana* a voce *equus* derivandam strenue disputavit. Menagiana *vol.* 1. *p.* 55.

(4) *Cap.* 1. *de hom. in* 6.

(5) *Dict. cap.* 1. Farinacc. *quæst.* 123. *n.* 133.

(6) Matth. *ad lib.* 48. *Dig. tit.* 5. *c.* 1. *n.* 5.

(7) Boehmer *Elem. jurispr. crim. sect.* 2. *c.* 18. §. 230. Cremani *lib.* 2. *c.* 5. *art.* 4. §. 3. alii assassi-

§. 887. Rectius assassinium in *simplex* et *qualificatum* dispescitur, quorum alterum in cæde simpliciter mandata, alterum in cæde mercede conducta consistit (1), quod et *homicidium conductium* dicunt (2).

§. 888. Quoniam vero in assassinii crimine duo simul concurrunt, scilicet I. cædis mandatum, vet operarum ad cædem conductio II. ipsaque cædes, unum ab altero disjunctim scrutandum est.

§. 889. I. Mandati, vel conductionis operarum non eadem est ratio. Illud eatenus æstimandum est quatenus præmeditatam efficit cædem: hæc nequiorem *ob caussam* cædem constituit.

§. 890. Mandatum, quoniam facilius quam operarum conductio exprimi potest, non frigido tantum, pacatoque animo sed et ira æstuante conferri potest, quo casu si a mandatario cædes vel illico, vel quamvis ex intervallo absque ulla ex mandantis parte sollicitatione admissa fuerit, nescio an de *mandati corpore*, quod vocant, satis constare pronunciandum sit (3). Idem dicendum si mandatum per nutus, vel ge-

---

nium proprium illud vocant, quod ab infidelibus in infideles, improprium quod a fidelibus inter se invicem exercetur. Boehm. *ad Carpzov quæst.* 19. *obs.* 1.

(1) Cremani *loc. cit.*

(2) Boehmer *ad Carpzov. loc. cit.* Idem Boehmerus assassinium in operarum locatione ad cædem patrandam consisteretur, nomenque rejicit si cædes simpliciter mandata sit. *Elem. jurispr. crim. sect.* 2. c. 18. §. 229. conf. Poggi *lib.* 3. *c.* 10. §. 79. *in fin.* Matth. *loc. cit.* n. 4.

(3) Conf. Ursaya *Inst. crimin. tit.* 5. *n.* 246.

stus non verbis collatum fuerit. Præterea mandatum *vere* non *præsumptive* adsit oportet, ita ut nec sola sicarii credulitas, si quando accidat, nec alienæ referendæ gratiæ ejusdem sicarii spes quempiam mandantem efficiunt (1).

§. 891. Cum rarior simplicis executio mandati quam operarum conductio in homicidio sit, satis patet, severioribus in hanc statuendum esse principiis. Locationis, et conductionis operarum *corpus* adest illico ac pactio vel *verbo*, vel *scripto* de homine ob mercedem necando intercesserit (2), parumque refert soluta ne adhuc merces fuerit, vel tantum promissa (3), utrum in pecunia numerata, vel alio quocumque corpore consistat (4), utrum magna, vel exigua, parvique momenti merces fuerit (5), in

(1) Renazzi *lib.* 4. *p.* 4. *c.* 3. §. 2. *n.* 1.
(2) Caravit. *Inst. crim. lib.* 1. §. 3. *c.* 37.
(3) Matth. *lib.* 48. *tit.* 5. *c.* 1. *n.* 4.
(4) Ulpian. *in l.* 178. *tit.* 16. *lib.* 50. *Dig.*
(5) Tanta tamen, qua facile animus locatoris ad crimen exequendum permotus videatur. Ambrosin. *De immunit. c.* 7. *n.* 7. Raynald *Obs. crimin. lib.* 1. *c.* 1. *n.* 82. Hinc non immerito ab aliquibus merces certa requiritur. Matth. *loc. cit. n.* 4. conf. Caravita *loc. cit. n.* 14. Concedam libenter, hujusce generis disputationes tum tantum temporis necessarias fuisse cum assassinium exquisitiori vindicabatur supplicio. Poggi *lib.* 3. c. 10. §. 73. *in fin.* Paoletti *lib.* 3. *tit.* 10. ideoque inutiles hodie evasisse cum apud nos omnium præmeditatarum cædum eadem sit pœna. Id utique verum est si de cædis executore agatur : ast si de cædem mandante sit quæstio, cum ille *verbis* tantum non *ferro* trucidet, nescio an quæcumque verba tanta vi pollere semper censendum sit.

commodo quovis assequendo, vel evitando incommodo ex. gr. debiti solutione, ac chyrographi restitutione constiterit (1).

§. 892. II. Ad cædem quod attinet, frustra de ea re quoad mandatarium disceptatur: is namque homicidii præmeditati reus efficitur. Ad mandantem autem quod spectat sedulo inspiciendum est an cædes cum mandato unum idemque negotium constituat; quare huc ea omnia revocanda sunt, quæ de mandati, jussus, consilii, ac ratihabitionis imputatione alibi disputavimus (§. 193. *et seqq.*).

§. 893. Jure patrio assassinium eadem coercetur pœna, qua cetera atrociora homicidia, nulla inter *assassinum* atque *assassinatorem* adhibita distinctione (2).

§. IV.

De homicidio a sanguinis nexu inter occidentem, et occisum qualificato.

§. 894. Una eademque homines natura genuit, alit, conservat: una eademque egestatum, ac pathematum ratio, quique omnibus communis est mutuæ pietatis sensus illos in reciprocum, arctissimumque fœdus invicem allicit, compellit. Naturam igitur ipsam, brutis animantibus longe crudeliores, subvertunt qui sibi similem

---

(1) Caravit. *loc. cit.*

(2) Cod. Leop. §. 67. l. 30. *aug.* 1795. §. 13. conf. Ant. Matth. *loc. supr. cit n.* 3.

frigido, pacatoque animo obtruncant (1). Ast supra naturam ferox est qui prope sanctum instinctum illum poterit, quo veluti ab incognita, eaque suavissima vi ad eos amandos trahimur, quos procreavimus, vel a quibus vitam accepimus. Nil mirum igitur legumlatores extitisse, qui de cæde parentum nullam ferre legem voluerint quasi impossibile inter homines tale scelus putassent (2). Verum cum nihil tam sanctum sit, quod hominis audacia aliquando non violet, recte a legibus constitutum est, exemplari quodam, tristique apparatu in eos animadvertendum esse, qui in sibi arctissimo sanguinis vinculo conjunctos manus inferre non dubitaverint. Hinc atrocioribus homicidiis accensentur I. *Parricidium*, II. *Infanticidium*, atque *infantis expositio*, III. *Partus abactio*, IV. ac ob criminum analogiam *Suicidium*.

N. 1.

De Parricidio.

§. 895. Parricidii vox pro morum, publicarumque virtutum inter homines vicissitudine modo latiorem modo angustiorem significationem ha-

---

(1) . . . . *parcit*
Cognatis maculis similis fera etc.
Juv. *sat.* 15. *v.* 159.
Conf. Renazzi *lib.* 4. *p.* 4. *c.* 1. §. 1. ac auctores citatos a Coccejo *ad Grot. Orat proem. c.* 2. *sect.* 2. §. 36.

(2) De Solone testis est Diog. Laert. *lib.* 1. §. 59. De Romulo Valer. Maxim. *lib.* 1. *c.* 1.

buit. Parricidium veteres Romani quodcumque homicidium dixere (1): postea eo nomine atrociorem cædem veluti Principis designaverunt (2). Ex præscripto LL. XII. Tab. parricidium parentis necem strictissime significavit (3). L. Cornelius Sylla leges contra parricidas restituit, easque ad alios cognationis gradus porrexit (4). Demum lege Pompeja, quæ de parricidiis sub Cn. Pompejo Magno lata fuit, parricidæ nuncupabantur, qui fata properaverint parentum, liberorum, collateralium, affinium intra quartum gradum, aliarumque personarum, quas ea lex memorat (5). At ex Constantini Magni constitutione parricidii vox angustiori sensu sumpta ad personas tantum pertinet in linea recta constitutas (6). Hinc inter parricidium *proprium*, et *improprium* extorta distinctio, illud quod inter ascendentes et descendentes, hoc quod inter conjuges, aliasque personas a lege Pompeja memoratas committitur (7).

---

(1) Festus in verb. *parricidii quæsitores*. Beaufort *La repub. rom. vol.* 4. *pag.* 231.

(2) Cicer. *Philip.* 2.

(3) Gothofred. *Font. jur. civ. ad leg. XII. Tab.* Beaufort *La rep. Rom. vol.* 4. *pag. cit.*

(4) Cicer. *pro Sext. Rosc. Amer.*

(5) *Dig. lib.* 48. *tit.* 9. *l.* 1. 3. 4. Matth. *ad lib.* 48. *Dig. tit.* 6. *c.* 1. *n.* 1. Duaren. *Coment. ad dict. leg.* Beaufort *La Repub. Rom. loc. cit.*

(6) *Cod. lib.* 9. *tit.* 17. *leg. un.* cum Triboniani interpretatione in *lib.* 4. *Inst. tit.* 14. conf. Gothofr. *Cod. Theodos. lib.* 9. *tit.* 15. *l. un.* quæ interpretatio illam inutilem reddit, quam proponit Matth. *loc. cit. c.* 2. *n.* 7.

(7) Cremani *lib.* 2. *cap.* 5. *art.* 6. §. 2. Carpz.

§. 896. In crimine parricidii æstimando plura considerentur oportet scilicet I. personarum qualitas II. actio, cui criminis titulus recte applicetur III. agentis intentio.

§. 897. I. Personarum qualitas, quæ criminis titulum determinat, sive de proprio sive de improprio parricidio agatur, quoniam *sanguinis rationem*, *quodque naturale est* lex Pompeja dumtaxat tuetur (1), a cognatione, quæ a *natura* non ab ea, quæ a *lege* descendit, metienda est. Hinc nec civilis cognatio, quæ ex adoptione sive plena sive minus plena profluit (2), nec spiritualis cognatio (3) qualitatem constituit, quæ in parricidio requiritur (4).

§. 898. Naturalis vero cognatio id efficit ut parricidii recte postulentur qui ascendentes, vel descendentes, qui tales natura sunt, interfecerint, nullo adhibito discrimine an pater filium, vel filius patrem occiderit (5), nilque prorsus in-

---

quæst. 12. *n.* 9. pluribus rationibus contendit, necem inter conjuges parricidium esse: alii id ad uxorem maritum necantem restringunt Gloss. *in* §. 6. *Inst. tit. de pub. Jud.* verb. *continetur vers. item affines.* alii vero id indistincte negant. Matth. *loc. cit. c.* 2. *n.* 8.

(1) Matth. *lib.* 48. *tit.* 6. *c.* 1. *n.* 2.

(2) Disc. Matth. *loc. cit. n.* 3. cui adsentitur Nani *not.* 2. conc. Cremani *loc. cit.* §. 3. qui consulendus. Conf. cl. Poggi *lib.* 3. *c.* 5. §. 40. qui tamen adoptivorum necem ad parricidium improprium referendam contendit.

(3) Disc. Decian. *Tract. crim. cap.* 9. *n.* 6. quem solide confutat Cremani *loc. cit.* §. 3. *not.* 1. *in fin.* Conc. Carpzov *quæst.* 9.

(4) Cremani *loc. cit.* §. 2.

(5) De patre, qui filium interfecisset, siluit lex Pompeja juris obtentu, quo patres in liberos potiebantur. Binkers. *De jur. occid. lib. c.* 3.

tersit utrum ex legitimo, vel illegitimo, itemque ex damnato coitu cognatio descendat. Hinc parricidii proprii rei evadunt qui liberos, vel parentes quamvis illegitimos, vel adulterinos, vel incestuosos enecant (1), si prolem excipias ex publico scorto procreatam, cujus pater incertus est (2).

§. 899. Parricidii improprii, ex legis Pompejæ præscripto, rei efficiuntur qui fratrem, sororem, patruelem, patruum, avunculum, amitam, materteram, consubrinum, virum, uxorem, non itidem sponsum, vel sponsam (3), generum, nurum, socerum, vitricum, privignam, patronum, patronam occidunt (4). Ad harum autem personarum internecionem quod attinet, ea non legis Pompejæ sed Corneliæ pœna vindicanda est (5) addito tamen aliquo exasperationis gradu (6).

§. 900. II. Quoniam parricidium *qualitas* est, quæ homicidium prægravat, consequitur ut cædes tantum eo nomine significetur. Hinc cædis conatus, quamvis veneno conatum fuerit, tam-

---

(1) *Dig. lib.* 50. *tit.* 16. *l.* 4. 6. 51. 220. Matth. *loc. cit. c.* 2. *n.* 2. ibique Nani *in suis animadversionibus not.* 1.

(2) Boehmer *Elem. jurispr. crim. sect.* 2. *c.* 21. §. 242. Poggi *loc. cit.* §. 40.

(3) Sponsos in legis sententia contineri contendit Marcianus *l.* 3. *tit.* 9. *lib.* 48. *Dig.* quod ad novercam restringendum autumat Cl. Poggi *loc. cit.* §. 42. *not.* 34. Carpzov *quæst.* 12. *n.* 18.

(4) *Dig. lib.* 48. *tit.* 9. *l.* 1.

(5) *Inst. lib.* 4. *tit.* 18. Poggi *loc. cit.* §. 42.

(6) Boehmer *Elem. jurispr. crim. loc. cit.* §. 241.

quam perfectum parricidium haberi nequit (1). Attamen tantus sceleri horror inest, ut politices regulæ, quibus in criminum imputatione decernenda semper obtemperandum est, moralis sensus fremitum vix compescere possint, præcipue si eo perductus conatus fuerit ut sanguis, quem amore, et reverentia prosequi perpetuo debemus, effundatur, aut in summum vitæ discrimen alio quocumque modo is, qui crimen passus est, perductus fuerit (2). Ceterum vis filiorum in parentes extra cædem jure Justinianeo a Præfecto Urbis pro admissi qualitate vindicabatur (3). Nimia vero parentum ultra legitimæ coercitionis modum in filios sævitia ita romanis legibus plectebatur ut pater filium invitus emancipare cogeretur (4).

§. 901. Criminis immanitas recte suasit ut cædis consocii (5), sive ex eadem domo et familia si-

---

(1) Disc. *Dig. lib.* 48. *tit.* 9. *l.* 1. conc. Cod. Leop. *art.* 67. nec non *l.* 30. *aug.* 1795. §. 13.

(2) Joan. Solorzan. Pereyra *De parric. crim.* Franciscus Ramos *De error. Tribon. circa pœn. parric. lib.* 6. Ant. Matth. *loc. cit. n.* 7. qui omnes conatum sive proximum sive remotum parricidium esse contendunt, quosque politicis argumentis refellit Nani *ad Matth. loc. cit. not.* 5.

(3) *Cod. lib.* 6. *tit.* 6. *leg.* 1. § *si filius.* Renazzi *lib.* 4. *p.* 4. *c.* 5. §. 3. *not.* 1. Conf. Paoletti *lib.* 3. *tit.* 12. *pag.* 192. ubi plura ad praxim opportuna inveniuntur.

(4) *Dig. lib.* 37. *tit.* 12. *leg. ult.* ad parentum in liberos coercitionis jura quod attinet conf. *Cod. lib.* 8. *tit.* 47. *l.* 3. 4. *l.* 15. *jan.* 1744. §. 5.

(5) Conscios habent *ll.* 2. 6. 7. *Dig. lib.* 48. *tit.* 9. cujus verbi verum sensum adnotat Matth. *loc. cit. n.* 8.

ve extranei, parricidii teneantur, siquidem non eadem est conatus et complicitatis ratio (§. 228.), nec extranei qualitas criminis titulum immutat cum delictum accessorium delicti principalis indolem quodammodo induat (1).

§. 902 III. Dolus in parricidii crimine utpotequi contrariam naturæ præsumptionem perpetuo habet, summus requiritur, ideoque intentio imperfecta vel indirecta (§. 90.) perfectum crimen haud constituit (2). Attamen in dolo in patre vel filio æstimando non eadem est ratio. Pater filiis amorem tantum, filius parentibus amorem et reverentiam debet (3), ideoque animi iracundia in utroque nec easdem caussas, nec eamdem vim habere præsumitur. Quæcumque iræ caussa quamvis non omnino justa parricidium in patre excusat : e contra quæ in filio parentis necem quamvis subitam excusent vix excogitare possumus, si casum excipias quo pater adeo dure atque injuste in liberos agat, ut eos in furorem quodammodo incendere valeat (4). Postre-

---

(1) Id verum contendit cl. Nani ad *Matth. loc. cit. n.* 6. si parricidii et homicidii eadem pœna sit, inficiaturque si pœnæ adsit diversitas : ast rationes, quibus sententiam suam suffulcit, quasque a cl. Cremani *loc. cit.* §. 6. hausit, speciosæ magis quam veræ mihi semper visæ sunt.

(2) Boehmer *ad Carpzov. quæst.* 15. *obs.* 1. Matth. *loc. cit. c.* 1. *n.* 6.

(3) Paoletti *loc. cit. pag.* 188. Renazzi *lib.* 4. *p.* 4. c. 5. §. 5. *n.* 3. *not.* 1.

(4) Exempla exhibet Matth. c. 2. *n.* 12. ceterum recte animadvertit Boehm. *ad Carpzov. quæst.* 18. *obs.* 2. esse hanc rem in applicatione difficultate plenam, et exorbitantes prorsus parentum conatus supponere.

mo error personæ, qui numquam homicidii imputationem minuit, in causa est ut delicti titulus immutetur, et in homicidium abeat (1).

§. 903. Pœna parricidii apud Romanos more majorum, teste Modestino, hæc constituta est (2), ut reus virgis cæsus cum cane, vipera, simia, et gallo gallinaceo in culeo insueretur, et in mare, vel in flumen projiceretur (3). Pœnam hanc diu intermissam Constantinus restituit (4). Apud nos parricidium, veluti cetera præmeditata homicidia, morte atque infamia punitur (5).

N. 2.

De infanticidio, et infantis expositione.

§. 904. Non immerito ad legem Pompejam infanticidium refertur (6) scilicet *infantis cædes a parentibus dolo malo peracta*, ita ut si id extraneus aut nutrix fecerit, crimen in homici-

---

(1) Carpzov *Pract. crim. p. 1. quæst.* 18. *n.* 14. 15. ibique Boehmer *obs.* 3.

(2) *L.* 9. *Dig. lib.* 48. *tit.* 9.

(3) *L. XII. Tab.* et Cicero *pro Sext. Rosc. Am. c.* 20. 26. de culeo tantum loquuntur. Seneca *Excerpt. contr. lib.* 5. *c.* 4. serpentes adjicit. Hadrianus apud Dosith. Magistr. *lib.* 3. *c.* 16. Modestinus *loc. cit.* Constantinus Imp. *Cod. lib.* 9. *tit.* 17. et Justinianus *Inst. lib.* 4. *tit.* 18. omnia memorant, quæ culeo insuebantur.

(4) *Cod. lib.* 9. *tit.* 17. *l. un.*

(5) Sabelli *in summ.* §. *parricidium n.* 5.

(6) Crem. *lib.* 2. *c.* 5. *art.* 8. §. 2.

dium simplex vel proditorium degenerat (1). Quia vero infantis cædem, dolumque malum in hoc crimine definitio desiderat, inspiciendum I. quinam infans dicatur II. quomodo de cæde liquido constet III. quæ dolum in crimine vel evincant vel prorsus excludant.

§. 905. I. Alibi de infantibus diximus ut statueremus quando tales esse desinant (§. 144). Quærendum nunc quando esse tales incipiant.

§. 906. Cum infantis appellatione homo semper in jure veniat, inspiciendum quænam a conceptione ætas perfectum hominem constituat, ut ab abortu distinguatur. Infans generatim intelligitur qui intra, vel post nonum a conceptione mensem in lucem editus fuerit (2), adeo ut si ante id tempus lucem adspexerit, tamquam abortus consideratur. Id autem non ita accipiendum est ut et septimo mense nati tamquam perfecti partus: perfectique homines haberi nequeant (3). Experientia namque docuit, etiam ea ætate natos enutriri, ac ad extremam senectutem pervenire aliquoties posse (4).

§. 907. II. Quoniam infanticidium species parricidii est (§. 903.), ac parricidium naturæ præsumptionem contra se habet (§. 901.), hu-

---

(1) Crem. *loc. cit.* §. 8. Infantem hominis appellatione semper in jure venire, ideoque infantis cædem homicidium esse erudite disserit Gothofred. *Cod. Theod. lib.* 9. *tit.* 14. *leg.* 1.

(2) Gothofr. *loc. cit.*

(3) Paul. *l.* 12. *Dig. lib.* 1. *tit.* 5. Guadagni *Exerc. in Jur. civ. lib.* 1. *tit.* 12. §. 78. *n.* 3.

(4) Mahon *Medecine legale etc. vol.* 1. *pag.* 243.

jusmodi criminis probatio, ad delicti corpus præcipue quod attinet, ab accusatore omnibus numeris explenda est (1). Ut infantis cædes admissa certo certius dici possit duo necessario requiruntur 1. ut is vivus in lucem prodierit 2. ut vitalis fuerit, adeout vitam ei adhibita vi ademtam fuisse dici merito possit (2).

§. 908. 1. Evidentiam physicam, ut constet infantem vivum in lucem prodiisse, frustra quæsieris. *Docimasia pulmonum*, quam vocant (3), pulmonum scilicet in aquam injectio ut ab immersione, vel supernatatione exploratum sit, infantem aerem extra uterum maternum hausisse nec ne, fallacissima dicitur (4). Nec melioribus fundamentis innititur pulmonum ad trutinam perpensio, ut ex pondere arguatur utrum sanguis ope respirationis pulmones ingressus fuerit nec ne (5). Satius est igitur non ope medicorum tantum sed et per conjecturas, et famam eam rem diligenter perpendere (6).

§. 909. 2. Aeris respiratio in infante quamvis ad civiles successionis effectus sufficiat (7) ad

---

(1) Faber. *in Cod. lib.* 9. *tit.* 11. *def.* 2.

(2) Renazzi *lib.* 4. *p.* 4. *c.* 6. §. 2.

(3) Barzellotti *Medicina Legale etc. vol.* 1. *pag.* 160.

(4) Renazzi *loc. cit.* §. 2. Mahon *Medecine legale etc. vol.* 2. *p.* 183.

(5) Foderè *Medecin. legal. vol.* 2. Barzellotti *loc. cit. pag.* 163.

(6) Paoletti *lib.* 3. *tit.* 14. *pag.* 203. Renazzi *loc. cit.*

(7) Ita veterum certationem IC. dirimens, ac Sabinianorum sententiam amplectens Justinianus statuit in *l.* 3. *tit.* 14. *lib.* 6. *Cod.*

infanticidii corpus constituendum impar omnino est. Fieri namque potest, infantem vivum equidem ex utero prosiluisse, atque illico, vel post breve temporis spatium e vita decessisse, quin ei per vim erepta fuerit. Quia vero multiplices, quarumque effectus difficillime oculis subjiciantur fidelibus, infantium necandorum artes nequissimæ (1), recte animadversum est, difficiliorem corporis delicti probationem in infanticidio esse, quam in ceteris homicidii generibus (2).

§. 910. III. Cum satis exploratum sit, infantem non natura sed hominis facto e vivis sublatum fuisse, tunc inquirendum superest dolone, vel culpa, vel casu perierit. Casu infantem periisse, frequentissima est perditarum, crudeliumque matrum excusatio, cui rei substinendæ ut plurimum allegant 1. vel uteri prægnantiam se ignorasse, uterique dolores tamquam dolores ventris sumpsisse, posteaque a partus celeritate se fuisse deceptas 2. vel se in eas incidisse occasiones, quæ partus curandi impossibilitatem habuerint 3. vel mortem ob nullam aut imperitam cordonis umbilicalis solutionem accidisse, et si quæ sunt hujus generis alia (3): quæ quamvis aliquando, perraro tamen, accidere possint omni cura ac diligentia perscrutanda sunt ut vel criminis, vel innocentiæ habeatur probatio (4). Quod si reapse casu, negligen-

---

(1) Mahon *Medecine legale vol. 2. pag.* 292.
(2) Cremani *loc. cit. art.* 8. §. 9. *not.* 1.
(3) Mahon *Medecine legale etc. vol.* 2. *pag.* 381. *et seqq.*
(4) Paoletti *loc. cit. pag.* 204.

tia, inscitia infans perierit, parentes ob tale infortunium commiseratione potius quam pœna digni videntur (1).

§. 911. Ceu duellum honoris reparandi, ita infanticidium honoris protegendi causa committitur, a puellis scilicet, quæ furtivi, illicitique amoris fructus supprimere machinantur. Cum autem infamiæ metus ejusmodi sit ut cadat etiam in constantem virum (2) eoque magis in timidas puellas, num pronunciandum erit, infanticidium tamquam actionem non prorsus liberam vel nullis, vel mitioribus pœnis coercendam? Nemo ex suo delicto meliorem conditionem suam facere potest (3), cumque brephotrophia adsint ad expositos alendos destinata (4) nulla est juris aut humanitatis ratio, ob quam infanticidium inter atrociora homicidia recensere non debeamus (5).

§. 912. Proximum infanticidio crimen eorum est, qui molestiarum pertæsi, quas sobolis educatio atque enutritio habet, infantes sive sanguinolentos, nondum scilicet a patre agnitos,

---

(1) Renazzi *loc. cit.* §. 1. *in fin. ibique auctores citati.*

(2) *Dig. lib.* 4. *tit.* 2. *l.* 8. §. *pen.*

(3) *Dig. lib.* 50. *tit.* 17. *l.* 111.

(4) Ita fere patria *lex* 15. *jan.* 1744. §. 8.

(5) Aliter sensisse videtur Matth. *lib.* 47. *tit.* 16. *c.* 2. *n.* 2. *in fin.* Cujacius vero dubitavit an qui infantem occiderit homicidii reus dici possit *obs.* 6. 21. Gothofr. *loc. cit.* Olim criminalistæ honoris servandi caussam ad parricidii imputationem minuendam admisere, quos refellit Paoletti *lib.* 3. *tit.* 14. *pag.* 202. Conf. Bentham *Traité de legislation etc. vol.* 2.

nec nutricis adjutos officio (1), sive jam a parentibus agnitos (2) exponunt (3). Extraordinarium apud Romanos hoc crimen fuit (4), atque in eo æstimando I. expositionis caussæ II. nec non expositionis modus, locusque contemplandus est. Nam si pater, miseria cogente, infantem necessariis auxiliis instructum, ne cœli inclementia pereat, in loco publico aliorum misericordiæ exposuerit, quamvis mors inde subsequuta sit, non de parricidio sed de culposo tantum homicidio tenebitur (5): si in solitudine ut fame moriatur, et ferarum laniatibus objiciatur, tamquam parricida pœnis legis Pompejæ subjiciendus est (6).

N. 3.

De partus abactione.

§. 913. Homo sive perfectus sive nondum perfectus sit, atque in utero matris adhuc degens a lege protegitur ubi barbari, ferique mores, vel præjudicatæ philosophiæ commenta omnem

---

(1) Sanguinolentos exponere ad Valentinianum usque capital patri haud fuisse contendit Noodt. *Jul. Paul.* et *amica resp.* inficiaturque Bynkersoek *De jur. occid. lib. c.* 8.

(2) Quamvis infantia intra septimum nondum elapsum annum consistat, attamen infantium expositio ad eos tantum pertinere videtur, qui recens nati sunt. Poggi *leg.* 3. *c.* 7. §. 54.

(3) Arg. *l.* 15. *Dig. lib.* 48. *tit.* 8.

(4) *Cod. lib.* 8. *tit.* 52. *Nov.* 153.

(5) Matth. *lib.* 47. *tit.* 16. *c.* 2. *n.* 2. Paoletti *lib.* 3. *tit.* 15. Poggi *lib.* 3. *c.* 7. §. 57.

(6) Matth. *loc. cit.*

humanitatis sensum non suffocaverint. Inter veteres legum conditores non defuere qui, procreationis intra certum civium numerum cohibendæ gratia, conceptum fœtum abigi posse voluerunt, qui nondum sensum et vitam acceperat (1). Stoicorum sententia fuit, hominem nondum natum partem tantum ventris, portionemque viscerum matris esse (2), Romanique jurisconsulti stoicorum doctrinam secuti non absolute partus abactionem prohibuerunt, sed tunc tantum cum fœmina viro conjuncta filii hæredisque spem abortione marito substulisset (3). Evangelica tandem hominibus prælucente lege, humanitatis jura et fœtui sarta tecta servata fuerunt, partusque abactio tamquam parricidii species pœnis vel legis Pompejæ vel legis Corneliæ subjacuit (4).

§. 914. Est autem partus abactio *fœtus extra uterum maternum ante tempus a natura præstitutum violenta, ac dolo malo ejectio peracta* sive a parentibus sive ab extraneo (5). Hujus criminis momenta sunt I. uterus prægnans,

---

(1) Matth. *lib.* 47. *tit.* 5. *n.* 1.

(2) Plut. *De placit. Philosoph. lib.* 5. *c.* 15.

(3) Noodt *Jul. Paul. cap.* 11. cui adsentitur Bynkersoek *De Jur. occid. lib. cap.* 7. Boehmer *ad Carpzov. quæst.* 11. *obs.* 1. Matthæus Romanorum IC. placita inter se pugnantia conciliare contendit, quem refellit Nani existimans, illorum perpetuam fuisse sententiam, partum non editum hominem non esse *loc. cit. n.* 2. 3. *not.* 1.

(4) Scilicet Valentiniani Valentis et Gratiani temporibus conf. *l.* 8. *Cod. lib.* 9. *tit.* 16.

(5) Conf. Poggi *lib.* 3. *c.* 6. §. 48.

fœtusque animatus II. violentiæ genus partui properando idoneum III. fœtus ejectio inde sequuta IV. dolus malus.

§. 915. I. Si mulier immaturum fœtum emiserit, certe ea prægnans fuit (1): quapropter omnis dubitationis alea in fœtus animalitate æstimanda consistit. Extat sane conceptioni adeo proximum tempus, quo de embryonis animalitate ut de crepuscolo neque diem neque possis dicere noctem. Hinc variæ circa fœtus animalitatis tempus tum moralium tum naturalium rerum scriptorum sententiæ (2). Stoici animam ex aeris respiratione constare docuerunt, fœtumque tum tantum animatum esse cum in lucem prodit (3): Aristotelici ex motu, quem in maribus quadragesimo a conceptionis die, in fœminis nonagesimo vel octuagesimo, vel demum septuagesimo adesse finxerunt (4): Hippocrates, cui Jus Canonicum adhæsit, ex organorum conformatione, ita ut tunc fœtus animatus dicatur cum perfecte in eo corporis partes inspiciuntur (5). Usui

---

(1) Quæ de ventris prægnatione pragmatici disserunt Paoletti *lib.* 3. *tit.* 13. non ad criminis momenta sed ad corporis delicti artificialem probationem pertinent.

(2) Eas ex ordine recenset Mahon *de la Medicine legale vol.* 1. *p.* 215. 216. earumque vanitatem demonstrat.

(3) Lactant. *De opif. Dei cap.* 17. *p.* 833. De Simoni *Delitti di mero affetto part.* 2. *c.* 6. §. 1.

(4) Arist. *Hist. anim. lib.* 7. *c.* 3. De Simoni *loc. cit.* §. 4.

(5) Galen. *De fœt. format. c.* 1. *in princ. class.* 1. Zacchiæ *Quæst. medic. leg. lib.* 1. *quæst.* 2. *n.* 23. 24. Mahon. *La med. leg. loc. cit.*

fori aptior si non verior Hippocratis sententia est, eamque sequimur (1).

§. 916. II. Modi, qui ad ejiciendum fœtum adhiberi possunt, aut *moraliter*, aut *physice*, aut *mechanice* in prægnantis fœminæ corpus suam vim exerunt: moraliter cum metus mulieri incussus fuerit (2): physice si medicamina hauriat mulier, quibus a vulgo vis abortiva tribuitur, aut purgationes, vel sanguinis emissiones adhibeantur: mechanice si corpus uterusve violento motu, pressione, percussione contundatur. An metus incussio inter caussas abortioni idoneas recensenda sit alii judicent (3). Quæ physice agunt, ex veriori physiologorum sententia tantam vim abortionis inferendæ habent quantam matris occidendæ (4). Solæ igitur supersunt causæ, quæ mechanice vim inferunt, quibus partus abactio recte tribui possit (5). Quod si poculum abortionis porrectum fuerit, quod matrem, fœtumque necaverit, vel in summum vitæ discri-

---

(1) Paoletti *lib.* 3. *tit.* 13. *p.* 196. qui Hippocratis sententiam Galeno tribuit.

(2) Boehmer *ad Carpzov. quæst.* 11. *obs.* 4.

(3) Memoriæ proditum est, prægnantes mulieres aspectu Eumenidum in Eschylis' tragœdia, cui hic titulus, perterritas abortum fecisse. Scholiast. Arist. *in Equit.* Julius Pollux *lib.* 4. 5. 15. *ap. Stanleyum pag.* 702. 707.

(4) Frideric. Hoffman de læs. extern. et abort. *obs.* 12. quem refellere, perperam tamen, aggressus est Boehm. *ad Carpzov. quæst.* 11. *obs.* 5. Mahon *la Medecin. legale loc. cit.* Paoletti *ubi supra p.* 197.

(5) Paoletti *loc. cit. p.* 198.

men perduxerit, tale facinus non ad partus abactionem sed ad homicidium recte refertur (1).

§. 917. III. Quoniam naturæ vires hominum malitiæ atque audaciæ aliquando resistere possunt, non satis est ut violentia ad partus abactionem idonea intercesserit (2). Oportet insuper ut de fœtus ab utero ejectione liquido constet, in quo præcipue delicti corpus consistit. Quibus autem concurrentibus, si fœtus ejectus dispersus sit, delicti corpus per conjecturas et famam probatum dicatur pragmatici docent (3).

§. 918. IV. Dolus malus ita demum in partus abactione adesse dicitur cum in eo, qui violentiam adhibuit, concurrat 1. prægnationis scientia 2. intentio ad abortum directa. In hoc criminis momento æstimando distinguendum est inter prægnantem mulierem, quæ prægnationis celandæ causam habuerit, ejusque complices, atque extraneos, quibus nulla prægnationis occulendæ caussa subsit (4).

§. 919. Ad mulierem quod attinet culpa non dolo abortus factus censebitur si veste ad corporis elegantiam nimis arcte composita, immodico saltu, improboque labore id effectum fuerit, quæ omnia, nisi color crimini quæsitus sit, extra ambitum pœnæ sunt (5).

---

(1) Paul. in *l.* 38. §. 5. *tit.* 19. *lib.* 48. *Dig.* quem de mulieris nece non de fœtus abactione cogitasse docte contendit Nani ad Matth. *loc. cit. not.* 1.

(2) Cod. Leop. *art.* 71.

(3) Paoletti *loc. cit. p.* 199.

(4) De Simoni *loc. cit.* §. 9.

(5) Mahon *la Medic. leg. loc. cit.* De *procuratæ sterilitatis* crimine disserit Boehm. *ad Carpzov. loc. cit. obs.* 9.

§. 920. Ad extraneos quod spectat inspiciendum an frigido animo, vel ira æstuante peccatum fuerit. Si de dolo ex proposito agatur concedam libenter, intentionem ad lædendum *in genere* quamvis de abortu *in specie* minime cogitatum sit sufficere ut reus abortus postuletur. Si de dolo ex impetu quæstio sit, magna exoritur dubitatio utrum de abortu doloso, vel culposo tantum agi possit (1).

§. 921. Jure romano extra ordinem tum tantum coercebatur abortus cum uxor maritum suum filio aut hærede privasset (2). Nostra hac ætate non defuerunt qui abortum mitiori, qua homicidium, pœna coercendum putarunt eo quod nec adeo grave damnum præseferat, nec adeo gravem in animos terrorem injiciat (3). Patris legibus procurati abortus crimen inter atrociora homicidia connumeratur (4).

N. 4.

De Suicidio.

§. 922. Nullus profecto arctior sanguinis ne-

---

(1) Dubitandi rationem promovet Boehm. *ad Carpzov. loc. cit. obs.* 4. qui eam etiam ad atroces ictus, iteratasque percussiones extendit.

(2) Matth. *lib.* 47. *tit.* 5. *c.* 1. *n.* 2. 3. et Nani *in suis animadv.*

(2) De Simoni *Delitti di mero affetto part.* 2. *c.* 6. §. 9.

(3) Cod. Leop. *art.* 71. Praxis tamen inter fœtum inanimatum et animatum distinguit: si de fœtu inanimato agatur reus extra ordinem coercetur. Zacchiæ

xus excogitari potest eo, quo ipsi nos nobis conjungimur. Attamen longe abest ut sui ipsius necio in censuram legis Pompejæ incidere possit, ut vulgus docet rerum criminalium scriptorum (1).

§. 923. Cum satis expoloratum sit, leges, quæ de homicidio loquuntur, suicidium non comprehendere (2), patriæque constitutiones de homicidio tantum caverint, necesse est ut de hujus criminis imputatione civili, quidquid sit de morali, ad legum romanarum trutinam discutiamus.

§. 924. Quod sanctissima religionis præcepta, quod sui ipsius vehementissimus amor ut sibi ipsi parceret ab homine consequi non potuerunt, id consequi metu pœnarum frustra leges præsumerent (3). Attamen diversis innixi rationibus Romani IC. suicidium tum tantum legum animadversione dignum censuerunt cum damnum præseferret I. civium II. reipublicæ III. fisci (4).

Quæst. Medic. Legal. loc. cit. n. 2. Paoletti *loc cit.* Hujusmodi distinctio, quam Zacchias improbat alicubi rejecta est. Soulatges *Des Crimes vol.* 1. *p.* 299.

(1) Inter hos eminet Carpzov. *quæst.* 2. *n.* 28. *et seqq.* quem solide refellit Boehm. *loc. cit. obs.* 1. si ea excipias, quæ in eo ad sacram paginam referuntur. Namque suicidium in ea aperte vetitum apparet *Gen.* 60. ut Matthæus notat *lib.* 48. *tit.* 5. *c.* 1. *n.* 9.

(2) Boehmer *ad Carpzov. loc. cit. obs.* 1.

(3) *Dei delitti e delle pene* §. 35. Sonnenfels *Fondamenti della scienza politica p.* 1. §. 158. Civiles suicidii pœnas mordicus vindicare instituit Pescatore *Saggio sopra div. op. sui delitti e le pene cap.* 16.

(4) Stoicorum doctrinæ adhærebant Romani IC. quibus perpetua sententia fuit, ei mori licere cui vivere non placuisset. Cujac. *obs. lib.* 26. *c.* 40. Fabrott. *De*

§. 925. I. Civium damnum suicidium præseferre putabatur si servus mortem sibi conscivisset, vel consciscere tentasset, cum is dominum operibus suis, quas debebat, fraudaret (1). II. Reipublicæ si miles, in cujus perniciem sacramentum, quod pro ea defendenda susceperat, violabat (2). III. Fisco demum, si quis criminis postulatus conscientia sceleris suum fatum properasset, utpotequi delictum morte sua adgnovisse, ac de se sententiam tulisse videbatur: adeout si crimen tale fuisset, quod bonorum publicatione vindicaretur suicidæ bona fisco cedebant (3).

§. 926. Cum apud nos bonorum publicatio e medio penitus sublata fuerit (4), nulla adest ratio, qua suicidii accusatio possit institui, ac si de suicidio ex criminis conscientia simpliciter attentato agatur, non de suicidio sed de crimine

---

mort. volunt. in Otton. tesaur. v. 3. *p.* 1193. Bynkers. *Obs. jur. rom. lib.* 4. *c.* 4. Hanc Proculejanorum tantum fuisse doctrinam, Merillo duce, autumal Cremani *lib.* 2. *c.* 5. *art.* 9. §. 4. existimans autochyriam generatim vetitam fuisse nisus auctoritate Marciani *l.* 3. §. 6. *tit.* 21. *Dig. lib.* 48. nec non Ulpiani *l.* 23. §. 3. *lib.* 1. *tit.* 21. *Dig.* quæ tamen id nequaquam evincunt.

(1) *L.* 23. §. 3. *tit.* 1. *lib.* 21. *Dig.*

(2) *L.* 6. §. 7. *tit.* 16. *lib.* 49. *Dig. l.* 38. §. *ult. tit.* 19. *lib.* 48.

(3) *L.* 3. *tit.* 21. *lib.* 48. *Dig.* Bynkers. *loc. cit.* Boehm. *ad Carpzov. loc. cit.* adeout si crimen publicationis pœnam non meruisset nec sceleris conscientia admissum suicidium a lege vindicabatur. Conf. *dict. l.*

(4) Cod. Leop. *art.* 45.

ob quod attentatum fuit, dumtaxat inquirendum est (1).

A R T. II.

DE HOMICIDIO DOLOSO SIMPLICI

§. 927. Si quis dolo ex impetu hominem occiderit is *homicidii dolosi simplicis*, aut *voluntarii puri* reus efficitur (2). Dolus autem ex impetu non ad legem Corneliam sed ad legem Aquiliam pertinet (3), cujus doli quadruplex praxis effingitur I. quævis animi perturbatio II. rixa III. justus dolor IV. justæ defensionis excessus.

§. 928. I. Allatæ sibi injuriæ quamvis levissimæ sensus, si is sit, ex quo intentio necandi ex improviso oriatur, homicidiumque illico patratum fuerit, homicidium ipsum dolosum simplex constituit eo dumtaxat quod præmeditationem excludit (4). Quapropter levitas vel injustitia causæ doli ex impetu naturam nequaquam mutat, si talis appareat, quæ iram reapse concitaverit, neque ulla præmeditationis subsit suspicio (5).

---

(1) Paoletti *lib.* 3. *tit* 18. *in fin.* Hallucinatur tamen vir ceteroquin diligentissimus dum quasi aliud statuentes affert *l.* 38. §. 12. *tit.* 19. *tit.* 48. et *l.* 6. §. 7. *tit.* 16. *lib.* 49. *Dig.* quæ ad milites tantum pertinent ut notat Nani *ad Matth. loc. cit. not.* 3.

(2) Cremani *lib.* 2. *c.* 5. §. 20.

(3) Noodt *Probab. jur. lib.* 4. *cap.* 7. *n.* 2.

(4) Disc. Paoletti *lib.* 3. *tit.* 9. §. 2. conc. Cl. Poggi animadv. MS. ad idem opus argumento ducto a *l.* 30. *aug.* 1795. *art.* 14.

(5) Casus tamen excipiendus est, in quo homicida in re versatur prorsus illicita. Conf. Carpzov. *quæst.* 30. *n.* 5.

§. 929. II. Rixa est *duorum vel plurium ob privatam injuriam improvisa certatio* (1). Illam non jurgia sed ictus constituunt (2). Hinc rixæ auctor is est non qui prior conviciis et probris adversarium lacessiverit, sed qui prior, vel cultrum strinxit vel pugnos duxit (3). Quoniam in his, quæ subito admittuntur impetu, complicitas concipi nequit (§. 227.), atque ictus uniuscujusque in hoc collectorum contemplari æquum est (4), quid statuendum si, homine inter plures rixatores occiso, ea contemplatio percussorem non prodat? Interpretibus placuit singulos extra ordinem puniendos esse (5), ipso rixæ auctore haud excepto (6).

§. 130. III. Ob justum dolorem homicidium simplex mitius punitur si maritus adulteram uxorem in crimine deprehensam vel mœchum vel ambo occiderit, si pater filii, vel filius patris cædem interfectoris cæde illico vindicaverit, si dominus furem præcipuæ nocturnum in actu ipso

---

(1) Poggi *lib.* 3. *c.* 3. §. 23.

(2) Nani *ad Matth. lib.* 47. *tit.* 3. *c.* 3. *n.* 5. Boehmer *ad Carpzov. quæst.* 29. *obs.* 3.

(3) Nani *loc. cit.*

(4) Paul. *lib.* 5. *Sent. tit.* 23. §. 4. *l. ult. tit.* 8. *lib.* 48. *Dig.* Præmeditationem in rixæ auctore semper præsumendam aliquibus minus recte placuit, quos refellit Conciol. verb. *homicid. res.* 11. nec non Raynald. *Obs. crim. supplet.* 7. *c.* 2. *n.* 18.

(5) Matth. *lib.* 48. *tit.* 5. *c.* 3. *n.* 20. Eos actione legis Aquiliæ in solidum teneri observat Noodt *ad l. Aquil. lib. sing. c.* 10.

(6) Matth. *loc. cit.* quin adversetur textus in *l.* 3. §. 4. *tit.* 8. *lib.* 48. *Dig.*

furandi interfecerit, si lictor in temere resistentem excesserit (1).

§. 931. IV. Quamvis injusta existat aggressio attamen inculpatæ tutelæ moderamen pluribus modis excedi potest, quibus doctores admunerant caussam, armorum genus, tempus, ac percutiendi modum, adeut, vel infimo doli ex impetu gradu, vel etiam culpa homicidium admitti potuerit (2). Tunc vel moderaminis, vel defensionis excessus pro facti qualitate imputatur ab infimo ad maximum, vel culpæ, vel doli ex impetu gradum (3).

§. 932. Legibus nostris inspectis, homicidia in rixa patrata publico opere per decennium in rixæ auctore, per quinquennium in provocato puniuntur, mitiusque agitur in eos, qui præter expectationem interfecerint (4).

A R T. III.

DE CULPOSO ET CAUSALI HOMICIDIO

§. 933. Ut homicidium culpa non dolo admissum dici possit requiritur ut non solum occidendi sed et vulnerandi in agente absit inten-

---

(1) Conf. Cl. Poggi *loc. cit.* §. 23. Carpzov. *quæst.* 29.

(2) Carpzov. *quæst.* 29. *n.* 8. *et* 38.

(3) Boehmer *ad Carpzov. loc. cit. obs.* 1. distinctionem inter defensionis et moderaminis excessum conquoquere haud potest. Ast nihil dubium *dolo* in defensionis excessum, *culpa* in moderaminis excessu peccari posse.

(4) *L.* 30. *aug.* 1795. §. 14.

tio (1). Culposum autem evadit homicidium cum etiamsi nec necandi, nec vulnerandi animus adsit, attamen qui hominem interficit in re versatur illicita I. *re ipsa* cum actio assumitur, quæ vel legibus, vel bonis moribus adversatur (2), II. *loco* si quis periculosum quid ibi exerceat ubi ea exercitatio haberi nequit (3), III. *tempore* si occasio in agendo eligatur, in qua actio quamvis licita alicui nocere potest (4), IV. *persona* si quis non miles in eo campo ubi solitum est exercitari jaculis transeuntem trajecerit (5), V. *modo* quamvis in actu licito 1. vel excedendo (6), 2. vel deficiendo (7), 3. vel imperite agendo (8).

§. 934. Qui casus sit alibi diximus (§. 167.): superest ut animadvertamus, in æstimando homicidio casuali judicibus homines non angelos ac perfectissimos judicandos esse, adeoque et humanitati et naturali imbecillitati semper aliquid concedendum (9).

§. 935. Culpa admissum homicidium pœna judicis arbitrio decernenda coercetur (10), cujus

---

(1) Carpzov. *quæst.* 27. *n.* 8.
(2) Nani *Principj di Giurisprud. crim. pag.* 98. Conf. §. 146.
(3) *Inst. lib.* 4. *tit.* 3. §. 4. *l.* 11. §. *item Mela tit.* 3. *lib.* 4. *Dig.*
(4) *L.* 30. §. 3. *Dig. eod. tit.*
(5) *Inst. loc. cit.*
(6) *L.* 6. *l.* 5. §. 6. *Dig. eod. tit.*
(7) *L.* 8. §. 1. *Dig. eod.*
(8) *L.* 7. §. 8. *l.* 8. *Dig. eod.*
(9) Ita fere Boehm. *ad Carpzov. loc. cit. obs.* 3.
(10) Carpzov *quæst.* 27. *n.* 33.

ambitus ab exilio a regione ad relegationem usque porrigitur (1). Hinc non tantum lata culpa in hoc crimine sed et levissima ob publicum exemplum est coercenda (2). Homicidium casuale, et præter omnem agentis expectationem exortum impunitum prorsus relinquitur (3).

ART. IV

DE LEGITIMO, ET LEGALI HOMICIDIO.

§. 936. Si omnia in homicidio concurrant, quæ actionis coactæ momenta constituunt (§. 171.) illud leges tolerant, *legitimum* seu *necessarium* dicitur, atque omnis pœnæ exors evadit, quin armorum æqualitas desideretur, sive aggressus jam percussus fuerit sive non, vel aggessor furiosus, ebrius, lunaticus sit (4).

§. 937. Quia vero malum, quod aggresso impendet vel æquale, vel majus eo quod in actione coacta consistit oportet sit (§. 171.) ut, ceteris inculpatæ tutelæ momentis concurrentibus, homicidium necessarium dici possit, videndum quæ tale malum reapse constituant. Mali æqualitatem exhibet amissio I. vitæ (5) II. mem-

---

(1) *L.* 30. *aug.* 1795. Poggi *lib.* 3. c. 1. §. 10. Carpzov *quæst.* 27. *n.* 50.

(2) Cl. Poggi in suis MS. observationibus ad Paoletti opus *lib.* 3. *tit.* 9. §. 4. et *Elem. Jurispr. crimin. l.* c. §. 7.

(3) Carpzov *quæst.* 27. *n.* 50.

(4) Boehmer *Elem. jurispr. crim. sect.* 2. c. 16. §. 107.

(5) Boehmer *ad Carpzov. quæst.* 28. *obs.* 2.

brorum (1) III. pudicitiæ (2). Hinc honoris (3), bonorumque quamvis pretiosorum (4) defensio, quorum amissio reparationem recipit, homicidium legitimum haud constituit. Ceterum inculpatæ tutelæ moderamen nobis non solum quoad nostram, sed etiam quoad defensionem eorum, qui nobis sanguine conjuncti sunt, competit, quorum injustum aggressorem impune occidere licebit (5).

§. 938. Momenta vero moderaminis adeo difficilis probationis sunt, ut periculosa atque injusta aggressione probata, cetera, si aliter haud appareat, probata censenda sunt (6).

§. 939. Quod ad privatorum tutelam committitur homicidium illud a legibus permittitur, quod ad reipublicæ præcipitur. *Legalis* homicidii exempla sunt pœnæ capitalis executio car-

---

(1) Boehmer *loc. cit.*

(2) Boehmer *loc. cit.* Matth. *lib.* 48. *tit.* 5. *c.* 2. *n.* 11.

(3) Poggi *lib.* 3. *c.* 2. §. 13. Carpzov. *quæst.* 30. *n.* 68. Sunt qui putant, nobilibus et militibus moderamen *in totum* vel *in tantum*, ut inquiunt, propter honoris contentionem competere, quos reji it Boehmer *ad Carpzov. quæst.* 29. *obs.* 5. Si vero de *alapa* agatur aliter sentire videtur idem Boehm. *quæst.* 30. *obs.* 1.

(4) Poggi *loc. cit.* §. 14. 15. Quoad furis sive diurni sive nocturni internecionem jure romano vel vetitam vel permissam conf. Cremani *lib.* 2. *c.* 5. §. 12. et auctores in notis citatos. Aliter sentit Boehmer *quæst.* 32. *obs.* 1. 2. ad Matth. *lib.* 48. *tit.* 5. *c.* 2. *n.* 7. 8. ibique Nani.

(5) Carpzov. *quæst.* 32. *Glob.* Matth. *loc. cit.* *c.* 2. *n.* 12.

(6) Boehmer *ad Carpzov, quæst.* 33. *obs.* 4.

nifici a lege mandata (1): cædes eorum, qui ad patriam delendam hostili animo veniunt (2), nam in publicos hostes omnis homo miles est. Ad ceteros quamvis scelestissimos quod attinet nullam juris naturalis aut politici rationem eorum internecionem privatis concedere alibi observatum est (3).

TIT. II.

DE DELICTIS CONTRA CIVIUM SECURITATEM QUOAD MEMBRA.

§. 940. Violari quoque potest civium corpus, salva vita I. per *vulnerationem*, II. per *mutilationem*, III. per *solam doloris, et molestiæ illationem* (4).

ART. I.

DE VULNERATIONE.

§. 941. Vulnus est *unitatis in carne violenta solutio* (5) quod et ossium fracturam conti-

---

(1) Quid si carnifex in occidendo imperite agat? Animus meminisse horret luctuque refugit supplicium Thuani memorans, de quo Pitaval *Cause celebri vol.* 8. *p.* 115.

(2) *Dig. lib.* 11. *tit.* 7. *L.* 55.

(3) Poggi *loc. cit.* §. 15. Matth. *lib.* 48. *tit.* 5. *c.* 2.

(4) Kemmerich *Synops. jur. crim. lib.* 2. *tit.* 5. *n.* 1. 3.

(5) Paul. Zacch. *Quæst. Medic. Legal. lib.* 5. *tit.* 2. *quæst.* 1. *n.* 10. Calvin *Lex Jur.* verb. *vulnus.*

net (1). Vulnera æstimantur I. quoad *effectum* in vulnerato, II. quoad *effectum* in vulnerante.

§. I.

De vulneribus quoad effectum in vulnerato.

§. 942. Effectus vulnerum duplex examen sortitur: I. aut enim omnium possibilium vulnerum ita naturam perpendimus ut influentiam, quam in vulnerati vitalem œconomiam unumquodque vulnus exercere potest, dignoscamus: II. aut inter plura vulnera a pluribus vulnerantibus in eumdem hominem illata illud inquirimus, quod ceteris perniciosius fuerit.

N. 1.

De vulnerum divisione.

§. 943. Vulnerum indoles, ex qua illorum arguuntur effectus I. aut *abstracte* II. aut *in concreto*, ut inquiunt, considerari valet (2): abstracte cum omnia possibilia vulnera, qualia mente concipi possunt, quoad effectus diversitatem, in certas classes redigimus: in concreto cum facti quæstio exoritur ad quam classem, vulnerati valetudine inspecta, præsens vulnus pertineat.

---

(1) Mahon *De la Medic. legal. vol.* 2. *pag.* 3. Quomodo vulnus, contusio, fractura, luxatio inter se differant docet Barzellotti *Medicina legale vol.* 2. *pag.* 264.

(2) Nani ad Matth. *lib.* 48. *tit.* 5. *cap.* 3. *n.* 17. *not.* 9.

§. 944. I. Vulnera inabstracto considerata in tres classes dispescuntur, scilicet I. *lethalia*, quæ necessario mortem sunt paritura, II. *periculosa*, ex quibus homo neque cito neque ex necessitate moritur ita ut interim curationem, dubii tamen exitus, admittant, III. *indifferentia*, quæ mortis caussa numquam esse possunt (1).

§. 945. Præterea vulnera I. aut *per se*, II. aut *per accidens* lethalia esse possunt: per se, quæ semper, omnibusque cujuscumque ætatis, roboris lethum afferunt; per accidens, quæ mortem pariunt eo quod aliqua caussa vulneri prorsus extrinseca id effecit, quæ consideratio cum ea, quæ *in concreto* dicitur, necessario connectitur (2). Hujusmodi vero caussæ I. aut *physicæ* sunt veluti aeris ac climatis constitutio, vulnerati corpus natura infirmum, in putredinem pronum, II. aut *morales* veluti chirurgi arcessendi impossibilitas, chirurgi ipsius imperitia, vulnerati negligentia, intemperantia etc. (3).

§. 946. II. Vulnerum disquisitio in concreto eo pergit ut comperiatur an præsens vulnus aut lethale aut periculosum sive in se sive per accidens aut indifferens fuerit, ad quam facti quæstionem dirimendam, si vulneratus adhuc vivat, *præsumptio* sive *hominis* sive *legis* adhibetur;

---

(1) Fortunati Fidelis divisio hæc est, atque usu fori recepta. Zacchia *Quæst. Medic. Legal. lib.* 5. *sect.* 2. *quæst.* 2. *n.* 50. Mahon *De la Med. Leg. vol.* 2. *pag.* 5.

(2) Illam *de concreto* penitus esse minus recte putat Nani *loc. cit.*

(3) Mahon *loc. cit. pag.* 20. *et seqq.*

si decesserit *physica certitudo*. 1. Præsumptio hominis vulneris indolem ab *aspectu* desumit: 2. præsumptio legis ab *exitu*: 3. physica certitudo a *cadaveris sectione*.

§. 947. 1. Vulneris aspectus, qui præsumptionem hominis dirigit, lethalitatem aut periculum arguit I. a *loco* ceu *cerebro*, *corde*, *stomacho*, *spina medulla*, *pulmone*, *tenuiore intestino* etc. II. a *magnitudine* et *profunditate*: III. a *symptomatibus* ceu convulsione, febri, epilepsia etc. (1).

§. 948. 2. Quoad exitum, cui legis innititur præsumptio, vulnera lethalia censentur si vulneratus intra diem septimum decesserit, periculosa si diem quadragesimum haud attigerit, indifferentia si post hoc temporis spatium adhuc vixerit (2).

§. 949. 3. Quia vero præsumptiones veritati cedere semper debent (§. 483.), si vulneratus decesserit, illius secto cadavere, ocularis inspectio adhibenda est, cujus ope, quidquid aliqui contra senserint (3), vera ac germana delicti corporis adstruitur probatio (4). Id autem

---

(1) Hypocrat. *Aphor.* 18. *sect.* 6. Matth. *loc. cit.* Mahon *La Medicine Legale etc. loc. cit.* Barzellotti *loc. cit. pag.* 264.

(2) Cremani *lib.* 2. *c.* 5. *art.* 11. §. 4. *et* auct. in not. cit.

(3) Polycarp. Leys. *De frustr. cadav. inspect.* Bodin. *De non requir. lethal. vuln.*

(4) Bohemer *ad Carpzov. quæst.* 26. *obs.* 3. qui cadaveris inspectionem romanis legibus ignotam, atque a jure Pontificio invectam docte contendit.

obtinet etiamsi vulneratus illico post acceptum vulnus diem absolvat (1).

§. 950. Sive autem vulneris aspectus perscrutandus sit, sive cadaveris inspectio adhibenda, vulneris qualitatem medici cognoscunt, quorum peritiæ et judicio standum est si duo sint, et jurati. Injuratis non facile fides habenda sicut nec uni nisi fortasse plures haberi nequeant (2).

§. 951. Si quis lethale vulnus inflixerit de homicidio, seu ut inquiunt *de occiso* tenebitur: si mere periculosum vel indifferens *de vulnerato* (3). Si vulnus non *in se* sed *per accidens* lethale fuerit distinguendum inter causas, quæ vulneri præexistebant, quæque post acceptum vulnus supervenere. Frustra de his ad imputationem vulneris augendam queritur (4). Quoad illas subdistinguendum utrum vulnerans eas noverit vel noscere potuerit nec ne: si novit vel noscere potuit *de occiso* tenebitur, sin minus *de vulnerato* (5).

---

(1) Frustra contra sentit Boehm. *ad Carpzov. dict. quæst. obs.* 1.

(2) Arg. *l.* 6. *tit.* 36. *lib.* 12. *Cod.* aliæque a Matth. congestæ *loc. cit. n.* 17. Accusatus adversus medicorum judicium excipere potest Cremani *loc. cit.* §. 4. *et auct. in not. cit.*

(3) Cremani *loc. cit.* §. 6.

(4) Arg. *l.* 30. *l.* 53. *tit.* 2. *lib.* 9. *Dig.* Brunemann. *ad dict. l.* 53. *n.* 3. cui assentitur Cl. Poggi *lib.* 3 *c.* 1. §. 9.

(5) Arg. *l.* 1. §. *Divus tit.* 8. *lib.* 48. *Dig.* Disc. Boehmer *ad Carpzov. quæst.* 26. *obs.* 1. Cremani *loc. cit.* §. 3. Nani *ad Matth. loc. cit. not.* 9.

N. 2.

De vulneribus a pluribus vulnerantibus in eumdem hominem illatis.

§. 952. Hactenus de imputatione cujuscumque vulneris disjunctim considerati quatenus uniuscujusque effectus vel a lege, vel ab arte medica statuitur. Discutiendum nunc de imputatione vulnerum, quorum effectus, quamvis *scientifice* certus sit, attamen vel cum *pari* effectu *concurrit* vel *a graviori consumitur*.

§. 953. Fingimus eumdem hominem a pluribus, nulla inter eos inita factione (1), vel mortifere vel periculose vulneratum. I. Duo lethaliter hominem vulnerant ita tamen ut secundum vulnus illico exanimem efficiat. Quoniam lethalitas primi vulneris mere possibilis est, alterius certa, prior de vulnerato alter de occiso tenebitur (2). II. Illata vulnera æque lethalia sunt: attamen vulneratus ex intervallo occumbit. Uterque vulnerans de occiso tenetur (3). III. Unus periculosum, alter lethale vulnus inflixit. Ille ut vulnerans, hic ut occisor coercebitur (4).

---

(1) Si factio intercesserit omnes ob complicitatem de occiso tenentur. Carpzov *quæst.* 25. *n.* 11. *et seqq.*

(2) Percelebris est dissensus Celsi, quem Ulpianus refert in *l.* 11. §. *Celsus tit.* 2. *lib.* 9. *Dig.* et Juliani in *L.* 52. *Dig. eod. tit.* nos Celsi sententiam amplectimur. Cl. Noodt. arbitratur sententiam mutasse Julianum ut ex Ulpiano arguitur in *l.* 15. *Dig. eod. tit.* conf. Matth. *lib.* 48. *tit.* 5. c. 6. *n.* 19.

(3) Matth. *loc. cit.*

(4) Cremani *loc. cit.* §. 6.

IV. Uterque periculose hominem vulneravit, qui postea obiit. Ambo de occiso postulantur (1).

§. II.

De vulneribus quoad affectum in vulnerante.

§. 954. Vulnus et *medium* et *finis* actionis est: medium si homicidium ex vulnere accidat: finis si vulnus citra homicidium subsistat. Utrum autem vulnus aut medium aut finis fuerit non ab eventu tantum sed et ab agentis consilio atque affectu arguendum. Hujusmodi vero affectus recte conjicitur I. aut ab armorum qualitate quibus vulnus illatum fuit: II. aut a vulnerum directione, et quantitate.

§. 955. I. Armorum nomen latissime sumptum omne id, quod nocere possit, complecti alibi diximus (§. 744.). Armorum tamen infinitæ sunt species, quæ ideo in certas classes referendæ sunt ut ex iis, ceteris paribus, occidendi animus in vulnerante vel excludatur, vel arguatur (2). In armis igitur, seu in his, quæ nocere possunt, distinguenda sunt I. quæ doli præsumptionem haud præseferunt veluti instrumenta, scilicet fustes lapides (3) II. quæ hujusmodi præsumptionem habent, veluti sunt arma occidendo *apta* (4) III. quæ non solum doli præsumptionem præseferunt sed peculiari odio a le-

(1) Matth. *loc. supr. cit.*
(2) Carpzov *quæst. n.* 5.
(3) Paoletti *lib.* 6. *tit.* 4. *pag.* 187.
(4) Poggi observ. MS. ad Paoletti *loc. cit.*

ge prosequuntur, qualia sunt occidendo omnino *destinata*, insidiosa etc. (1).

§. 956. Si de vulnere dolo ex proposito illato agatur instrumenta ipsa sub generali armorum nomine continentur: contra vero si dolo ex impetu peccatum sit (2).

§. 957. II. Si vulnera ad corporis partes dirigantur, in quibus lethalia utplurimum esse solent (§. 946), occidendi animus in vulnerante præsumitur: idem dicendum si id numerus ictuum suadeat (3).

§. 958. Ex præmissis colligitur, vulnera imputanda atque punienda pro re nata esse ratione composita I. qualitatis armorum II. doli sive ex proposito, sive ex impetu, quo illata sunt III. effectus, quem produxere (4). Vulnerum autem pœna ex nostrarum legum præscripto ab exilio a regione ad opus publicum per decennium porrigitur (5).

A R T. II.

DE MUTILATIONIBUS.

§. 959. Mutilatio in eo differt a vulnere quod

---

(1) *L.* 22. *Jan.* 1737. §. 14. Paoletti *lib.* 3. *tit.* 9. §. 5.

(2) Arg. *l.* 1. §. 3. *tit.* 8. *lib.* 48. *l.* 6. §. 6. *tit.* 49. *Dig.* *l.* 1. *tit.* 14. *lib.* 9. *Cod.* Poggi obs. MS. ad Paoletti opus *loc. supr. cit.* *l.* 22. *Jan.* 1737. §. 12.

(3) Boehmer *ad Carpzov. quæst.* 3. *obs.* 1.

(4) Conc. Cod. Leop. *art.* 72. fusiusque *l.* 30. *Aug.* 1795. *art.* 16.

(5) *L.* 30. *Aug.* 1795. *art. cit.*

non solum in unitatis solutione consistat sed etiam *membri* alicujus vel *amissionem*, vel *impedimentum*, vel *deturpationem* pariat (1). Membrum dicitur corporis pars ad certam actionem edendam destinata (2), ita ut nec singulum digitum neque nares, neque auriculæ membra hoc sensu dici possint (3).

§. 960. Mutilationes per injuriam illatæ Jure Romano ad normam legis Aquiliæ vindicabantur (4). Jure patrio si vulnus dolo ex proposito illatum deturpationem produxerit, vel maneum aliquem aut mutilum effecerit opere publico per quinquennium coercetur, per decennium si de occidendi animo pro rebus circumstantibus in vulnerante constiterit (5).

A R T. III.

DE CETERIS CORPORIS LÆSIONIBUS CITRA MUTILATIONES, ET VULNERA.

§. 961. Corporis læsionibus ex ordine perpensis, quibus aut vita adimitur, aut vulnus, aut

---

(1) Paul Zacch. *Quæst. Medic. Legal. lib.* 5. *tit. quæst.* 2. *n.* 3. 6.

(2) Zacch. *loc. cit. quæst.* 1. *n.* 8. De testibus silent IC. *loc. cit. n.* 12. De ea corporis parte, quæ *membrum* dicitur ejusque nominis immemorabilem possessionem habet, disputant medici, possessionemque litigiosam facit Fortunatus Fidelis, eamque defendit Zacch. *loc. cit. n.* 14. De eo qui eunuchum fecerit, alibi diximus §. 830.

(3) Zacch. *dict. quæst.* 1. *n.* 9.

(4) *L.* 23. §. *idem tit.* 2. *lib.* 9. *Dig.*

(5) *L.* 30. *Aug.* 1795. *art.* 16. Ceterum occidendi

mutilatio producitur, quibusque *realium offensarum* nomen late sumptum recte convenit, imputationis pœnæque calculus ad eas læsiones pergat oportet, quibus levius corpus affligitur, quæque *offensarum realium* nomine proprius designatur. Sunt autem aliæ reales injuriæ, quæ non ex hostili sed irreverenti animo proficiscuntur, ac non physicum sed moralem dolorem pariunt, quæ huc non pertinent, ac ad specialem injuriarum titulum ablegantur (1).

§. 962. Ad reales offensas, quæ corpus affligunt, referuntur verbera, alapæ (2), percussiones manu baculo aliove instrumento illatæ (3), vel harum læsionum incussus metus ut puta si manus adversus aliquem elevatæ sint, isque territus quasi vapulaturus, nec tamen percussus (4).

§. 963. Realium injuriarum, quæ vel cum dolore, vel sine dolore illatæ fuissent, pœnam apud Romanos statuit lex Cornelia, quæ pecuniaria fuisse verosimilius censetur (5). Hujusmodi offensæ, quarum ut postulari quis possit læsi que-

---

animus necessario mutilandi intentionem comprehendit, frustraque legibus Angliæ contradictionem exprobrat Filanger. *Scienz. della leg. lib.* 3. *p.* 2. *tit.* 8. *cap.* 51.

(1) Omnes reales injurias unica tractatione complectitur Carpzov. *quæst.* 99.

(2) Nisi atrox injuria fuerit cum scilicet illustres et qui supra illustres sunt offendantur Carpzov. *loc. cit. n.* 17.

(3) Carpzov *l. c. n.* 2. Paoletti *lib.* 6. *tit.* 5. *p.* 187.

(4) *L.* 1. §. 1. *tit.* 10. *lib.* 47. *Dig.*

(5) Conf. Cl. Cremani *lib.* 2. *c.* 7. *art.* 7. §. 11. et auctores in notis citatos.

relam desiderant, et apud nos rei familiaris dispendio puniuntur (1). Insultus extra ordinem coercetur (2).

TIT. III.

DE DELICTIS CONTRA CIVIUM SECURITATEM QUOAD EXISTIMATIONEM.

§. 964. Hominis felicitas, quam civitatis leges tuentur, non solum in vitæ, corporisque incolumitate sed et in propriæ existimationis securitate consistit, quæ procul dubio pecuniis præstat (3). Est autem existimatio non quoad læsionem considerata, qua illam leges ob crimen afficiunt (§. 302), sed quoad suam intrinsecam præstantiam, opinio quam homines de nostris tum physicis, tum moralibus perfectionibus concepere. Hujusmodi existimationem violant I. injuriæ II. famosi libelli.

ART. I.

DE INJURIIS.

§. 965. Injuria *generatim* dicitur quidquid non jure fit (4), *speciatim* culpam ex lege Aquilia significat (5), *stricte* vero *factum*, *vel*

---

(1) Cod. Leop. *art.* 72.
(2) De insultu disserit Caravita *lib* 1. §. 3. *cap.* 40. *n.* 16. *et seqq.*
(3) Cicer. *De orat. lib.* 2. *c.* 40.
(4) *L.* 7. *in princ. l.* 8. §. 1. *tit.* 4. *lib.* 4. *Dig.*
(5) §. 1. *Inst. lib.* 4. *tit.* 4.

dictum in alterius contemptum, *contumeliamque directum* (1). In hoc crimine æstimando inspiciendum est I. quæ facta vel dicta in aliquem prolata existimationis læsionem contineant II. quæ intentio in proferente concurrat oportet III. quæ injuriarum actio peculiaria habeat.

§. 966. I. Quodvis factum, dictum, scriptumve, quod alicui quid objicit, quod *natura*, *jure civili*, aut *moribus* probrum est, sive animi, sive corporis vitium sit (2), injuriæ *corpus* constituit dummodo id evidens fuerit (3).

§. 967. Injuria, quæ *verbis* constat vel cum *convicio*, vel citra convicium est. Convicium nuncupatur quod in cœtu aut cum vociferatione dicitur (4): quod si in *præsentem* proferatur ad *contumeliam*, si in *absentem* ad *diffamationem* pertinet (5).

§. 968. Injuria, quæ *facto* inest, ideo a reali offensa distinguitur (§. 960.) quia illa moralem dolorem tantum, qui animo, hæc et moralem et physicum, qui corpori, injuriato affert (6).

---

(1) *L.* 1. *in princ. tit.* 4. *lib.* 4. *Dig.* §. 1. *Inst. lib.* 4. *tit.* 4. *ibique Harprectus.*

(2) Arg. *l.* 2. §. *quod enim tit.* 34. *tit.* 10. *Cod.* conf. Matth. *lib.* 47. *tit.* 4. *c.* 1. *n.* 3. Apud nos si de vitii corporis objectione agatur res ad Præfectum vigilum defertur. Paoletti *lib.* 6. *tit.* 4. *v.* 2. *p.* 193.

(3) Matth. *loc. cit. n.* 2. quod verborum interpretationem conf. Boehm. *ad Carpzov. quæst.* 97. *obs.* 1. Cremani *lib.* 2. *c.* 7. *art.* 7. §. 4. *in fin.*

(4) Matth. *loc. supr. cit.*

(5) Cremani *loc. cit.* §. 3. *et auct. in not. cit.*

(6) Carpzov *quæst.* 97. *n.* 44. qui differentiam obiter notat. Plura realis injuriæ exempla suppeditat Matth. *loc. cit. n.* 1. conf. Pitayal. *Cause celebri vol.* 6. *pag.* 128. *et seqq.*

§. 969. Injuria vel *simplex*, vel *atrox* est (1). Atrocem injuriam faciunt I. *locus* si frequens sit veluti Ecclesia, Forum, Theatrum: II. *persona* si magistratus a cive, senator a plebejo, parens a filio, senis ab juvene injurietur: III. *tempus* si in conspectu Prætoris fiat: IV. *modus* si pudicitiæ attentetur; si famosus libellus fiat, qui specialem delicti titulum constituit (2).

§. 970. Injuria nobis non solum per nosmetipsos sed per eos infertur, qui aut *potestate* aut *affectu* nobis conjuncti sunt. Hinc paterfamilias injuriatur per liberos et servos: magistratus per personas civitati subjectas: maritus per uxorem, sponsus per sponsam: non item cognatus vel affinis per cognatos, affinesve suos (3).

§. 971. Ceterum objectæ rei veritas ex meliori sententia crimen generatim haud mutat, eo quod si de vitio agatur, quod naturæ potius quam nostrum est, durum et inhumanum foret id exprobare, quod emendare non possumus: si vitium sit quod a voluntatis defectu descendat aut crimen est aut citra crimen: si citra crimen nemini vitio vertere jus est, quod leges tolerant: si crimen, accusatio instituenda est non injuria proferenda. Interest enim summopere publicæ tranquillitatis ne quis suo lubitu extra judicium alicui vitia exprobret quamvis vera sint (4).

---

(1) Caravita *lib.* 1. §. 3. *c.* 22. *n.* 3.
(2) Matth. *loc. cit. n.* 6.
(3) Matth. *loc. cit. n.* 11. Caravita *loc. cit. n.* 4.
(4) Objecti criminis veritatem injuriam excludere scripsit Paul *l.* 18. *tit.* 4. *lib.* 4. *Dig.* Idem innuit

§. 972. II. Quoniam injuria ad alienam existimationem lædendam dirigitur necesse est ut reus animum infamandi habuerit (1). Hinc excusantur qui animo emendandi, jocandi, ac corrigendi aliquem lædunt (2): qui se vel clientem suum defendendi gratia crimen, quod probare possit, testi objicit (3): qui ut suum honorem defendat incontinenti injuriam in injurantem retorquet (4). Mitius autem in eum agitur, qui subito calore alterum injuria afficit (5), quique statim prolatam revocat injuriam (6). Honoris vero præfatio injuriam nequaquam excusat (7): ac si verba suapte natura probrosa sint, in dubio animo infamandi prolata esse censentur (8).

§. 973. III. Quia per eos, qui nobis aut potestate aut affectu conjuncti sunt, injuriamur (§. 969.), ex eadem injuria pluribus actio in-

---

Imp. *l. unica tit.* 12. *lib.* 3. *Cod.* Quæstionem hanc fuse pertractarunt Matth. *lib.* 47. *tit.* 4. *c.* 1. *n.* 8. ibique Nani, Boehm. *ad Carpzov. quæst.* 96. *obs.* 1. qui attente disserit quando convicii veritas *in totum*, vel *in tantum* excuset. Conf. Cremani *loc. cit.* §. 4. 5. *et auct. in not. cit.*

(1) Matth. *loc. cit. n.* 7. Carpzov *quæst.* 97. *n.* 1.

(2) *L.* 15. §. 38. *D. h.* 3. concionator, qui personam non vitia notat, injuria tenetur. Matth. *loc. cit.*

(3) Matth. *loc. cit.* Cremani *loc. cit.* §. 4.

(4) Quomodo moderamen in retrorsione servetur docet Carpzov. *quæst.* 97. *n.* 26. *et seqq.* retorsionis vitium notat Boehm. *in obs.* 5.

(5) Matth. *loc. cit. n.* 9.

(6) Cremani *loc. cit.* §. 6

(7) Cremani *loc. cit.*

(8) Matth. *l. c. n.* 12. Carpzov *quæst.* 97. *n.* 2. 3. 4.

juriarum oriri potest, nec actio unius per alterius actionem consumitur (1). Jure romano ob illatam injuriam aut accusatione, aut actione legis Corneliæ, aut actione prætoria ad injuriarum æstimationem, et palinodiam agebatur (2). Moribus hodiernis pro atroci injuria *ex officio* proceditur: pro simplici ad solam partis læse querelam (3). Actio injuriarum aboletur mutua compensatione si de simplicibus ejusdemque generis et gradus agatur injuriis (4), nec non dissimulatione cum nempe injuriatus post acceptam injuriam cum injurante congressum, et consuetudinem habeat (5).

§. 974. Injuriarum realium cum membrorum læsione pœna ex LL. XII. Tab. præscripto talio fuit, reliquarum pecuniaria XXV. assium (6). Injuriarum æstimationem Prætores introduxerunt si civiliter actum fuisset: si criminaliter pœna ex lege Cornelia irrogabatur, quæ verisimiliter pecuniaria fuit (7). Eadem pœna simplices injuriæ

---

(1) Matth. *loc. cit. n.* 11.

(2) Matth. *loc. cit. cap.* 3. actionem ad Palinodiam non jure romano invectam fuisse scribit Renazzi *lib.* 4. *p.* 4. *c.* 9. §. 9. *not.*

(3) Raynald. *Observ. etc. cap.* 11. §. 7. *n.* 11. *et seqq.* Cod. Leop. *art.* 3.

(4) Matth. *loc. cit. n.* 9. Disc. Carpzov. *quæst.* 96. *n.* 44. qui tamen publicam actionem supponit.

(5) Matth. *loc. cit. n.* 14. Carpzov. *quæst.* 97. *n.* 149.

(6) Matth. *loc. cit. cap.* 2. *n.* 1. Renazzi *loc. supr. cit.*

(7) Matth. *loc. cit. n.* 4. Conf. §. 942.

vel verbales, vel reales, vel scriptæ apud nos coercentur (1).

ART. II.

DE FAMOSIS LIBELLIS

§. 975. Inter scriptas injurias ceteris atrocior ea est, quæ famosus libellus dicitur. Est autem libellus famosus *scriptura in vulgus edita, in qua alicui specialis actio, quæ crimen famosum constituit, objicitur* (2). Ex qua definitione consequitur, hoc crimen constituere I. scripturam, II. dolum, III. criminis objectionem, IV. propalationem (3).

§. 976. I. Non solum manu scripta sed eo fortius prælo impressa (4) libellum famosum constituunt; parumque refert utrum nomine vel signis injuriatus descriptus fuerit dummodo incertus non sit (5). Pictura tamen, opus sculptile vel fusorium in alterius infamiam confectum ad injuriam realem non ad libellum famosum pertinet (6).

§. 977. II. Dolus hic est infamandi animus, nec non perterrefaciendi. Dolus itaque huic cri-

---

(1) Cod. Leopold. *art.* 75. addita condemnatione ad palinodiam si eam imploraverit læsus.

(2) *L. unic. tit.* 36. *lib.* 9. *Cod.*

(3) Boehmer *ad Carpzov. quæst.* 98. *obs.* 1.

(4) Boehmer *loc. cit.*

(5) *L.* 15. *tit.* 16. *lib.* 47. *Dig.*

(6) Matth. *loc. cit. n.* 1. Disc. Cremani *loc. cit.* §. 8. Boehmer *ad Carpzov. dict. obs.* 1. Conf. Poggi *lib.* 5. *c.* 7. §. 53.

mini maximus inest cum libelli famosi auctor delitescit, nomenque suum haud profitetur. Tunc enim crimen I. scopelismi mixturam habet: II. injuriato retorsionis remedium, solatiumve penitus aufert: III. auctor nomen suum profitendo convicii falsitatem suo ipso nomine ostendere potest: IV. nominis professio rem prorsus privatam inter lædentem et læsum constituit. Iis igitur libenter mallem assentiri, qui putant, libelli famosi substantiam in eo consistere, quod auctor nomen suum celaverit, crimenque in injuriam scriptam abire si nomen suum professus sit, quidquid aliter praxis statuerit (1).

§. 978. III. Famosi criminis sive veri, sive ficti (2) objectio libellum famosum ab injuria scripta distinguit. Igitur si libellus vel leve admodum crimen, quod neque facti, neque juris infamiam inurit, objiciat, vel vitium, vel qualita-

---

(1) Nullius momenti rationes sunt, quas ad nominis omissionem sustinendam affert Carpzov. *quæst.* 98. *n.* 24. quasque ut nominis vel manifestationem vel reticentiam indifferentem ad criminis momenta constituenda contendat congerit Boehmer. *ad Carpzov. loc. cit. obs.* 3. Nil ad scientiæ utilitatem addit Paoletti *lib.* 5. *tit.* 1. *v.* 2. *p.* 141. Cl. Poggi, quem semper honoris causa nomino, animadvertit, meliorem conditionem fore ejus, qui impudenter infamat, cum is mitius puniretur, quæ animadversio quamvis moralis phylosophiæ principiis apprime quadret, nescio an idem quoad politices principia pronunciandum sit. *Lib.* 5. *c.* 7. §. 51.

(2) Veritatem objecti convicii libellum non excusare contra Carpzovium contendit Boehmer. *loc. cit. obs.* 4. quæstionem hanc dilucide suo more explanat Cl. Poggi *loc. cit.* §. 52. qui consulendus.

tem non crimen, actione injuriarum non ex famoso libello agendum in scribentem erit (1). Famosum crimen cum dicimus non illud intelligimus tantum, quod pœnam capitalem vel afflictivam, sed illud etiam, quod solam infamiam importat (2).

§. 979. IV. Libelli propalatio adeo ad criminis substantiam pertinet I. ut si ea deficiat actione injuriarum inter læsum et lædentem agendum sit (3): II. ut si libelli auctor illum eo consilio abjecerit ut ab alio evulgaretur, evulgatusque non sit, crimen in mero conatu subsistit (4): III. ut si, libello ab auctore amisso vel ab alio intercepto, inventor aut interceptor illum evulgaverit is proprie criminis reus efficitur (5).

§. 980. Pœna libelli famosi ex Legibus XII. Tabul. capitalis fuit (6): Octavii Augusti tempore fustigatio duplex adhibebatur scilicet capitalis et nec capitalis (7), quarum primam suis tem-

---

(1) Carpzov *quæst.* 98. *n.* 51. *et seqq.* Nimium proni ad hujus criminis extendendum ambitum pragmatici sunt ut ipse Carpzov. notat. Libellus famosus in sua materialitate quoad specialitatem objecti convicii idem esse deberet quod accusatio in judicio. Conf. Boehmer. *loc. cit. obs.* 1. Cremani *loc. cit.* §. 8. nec non Cod. Leop. *art.* 73.

(2) Boehmer *loc. cit. obs.* 1.

(3) Paoletti *lib.* 5. *tit.* 1. *v.* 2. *p.* 139.

(4) Boehmer *loc. cit. obs.* 1.

(5) *L.* 1. *tit.* 36. *lib.* 9. *Cod.* Boehmer *loc. cit.*

(6) Cicer. *De rep. ap. sanct. Aug. de civit. Dei lib.* 2.

(7) Nani ad Matth. *lib.* 48. *tit.* 4. *cap.* 2. *n.* 5. *not.* 4.

poribus desiisse testatur Ulpianus (1). Postea in auctores libelli famosi extra ordinem ad relegationem usque animadverti cœpit (2). Demum ex constitutione Impp. Valentiniani et Valentis ultimum supplicium fuit (3). Patrio jure hujus criminis pœna denuo arbitraria judici evasit ad relegationem pro facti qualitate extendenda (4).

TIT. IV.

DE DELICTIS CONTRA CIVIUM SECURITATEM QUOAD BONA

§. 981. Bonorum nomine res tum animatæ tum anima carentes intelliguntur, quæ, dominio et proprietate inter homines introducta, unicuique ut vitæ substentationi atque jucunditati consuleret legitime comparatæ fuerunt (5).

§. 982. Vitam, qua fruimur, membra, quibus movemur et physice sumus, existimationem, qua nobis moralis adjicitur existentia, in dominio nostro esse, ac naturæ jura violari si ea bona lædantur, nemo est qui non sentiat (6). Ast res tum animatas tum anima carentes, quæ extra nos sunt, quæque manu teneri non possunt, nostras jure naturæ asseri posse non æque per-

---

(1) *L.* 8. §. 1. *et* 5. *tit.* 19. *lib.* 48. *Dig.*
(2) Paul. *lib.* 5. *Sent. tit.* 14. §. 11.
(3) *L. un. tit.* 36. *lib.* 9. *Cod.*
(4) Cod. Leop. *art.* 73.
(5) Bona dicuntur eo quod beant, idest beatos faciunt *L.* 49. *tit.* 16. *lib.* 50. *Dig.*
(6) *Principes de la legislation Univ. liv.* 3. *chap.* 1.

spicuum est. Hinc falsæ circa rerum dominia, eorumque originem opiniones: hinc periculosa nonnullorum scriptorum circa furti indolem, ejusque imputationem principia (1).

§. 983. Umbratilis philosophiæ rejectis hypothesibus, quibus omnia olim inter homines vel *negative* vel *positive* fuisse communia finguntur (2), atque proprietates introductæ tacito vel expresso omnium consensu (3), historia, atque jugi experientia compertum est, rerum dominia nullam aliam habuisse originem quam personalium hominum facultatum adplicationem ad rerum ipsarum indolem expoliendam, humanisque egestatibus accomodandam (4). Quomodo igitur physicæ, moralesque facultates, quarum usu dominia rerum acquirimus, nostræ jure naturæ sunt, tales eodem jure res ipsæ fiant oportet, adeout actiones, quæ dominia rerum violant, non societatem tantum lædunt sed ipsa naturæ jura subvertunt (5).

---

(1) Præ ceteris conf. Brissot. de Warville *Recherches philosophiques sur le droit de proprieté, et sur le vol, considerés dans la nature et dans la societé*. Quæ prostant in sua *Bibliot. vol.* 6. *p.* 261.

(2) Puffendorf. *lib.* 4. *c.* 4. §. 3. *et seqq.* Henric. et Samuel. Cocc. *ad Grot. lib.* 2. *c.* 2. §. 2.

(3) Grot. *lib.* 2. *c.* 2. §. 2. *n.* 5. Hobbes *leviathan cap.* 5. Puffend. *lib.* 4. *c.* 4. §. 4.

(4) *Principes de la legisl. Univ. loc. cit. cap.* 6. 7. Locke *en Essay on civil. Govern. ch.* 9. Ferguson's *History of civil society p.* 2. *sect.* 3. Home *Sketches of history of man B.* 1. *Sketch.* 2.

(5) Cicer. *In somn. Scip. c.* 3. Ulpian. *in l.* 42. *tit.* 16. *lib.* 50. *Dig.* conf. Matth. *lib.* 47. *tit.* 1. *c.* 1. *n.* 9. Poggi *lib.* 4. *c.* 1. §. 12. De Simoni *Del furto e sua pena* §. 5.

§. 984. Bona, quatenus in patrimonio nostro sunt, illiusque valorem constituunt, pecunia generatim dicuntur (1): ast quatenus a patrimonio nostro a scelestis hominibus auferri possunt, ob corporum indolem, quibus constant, dividenda sunt ut statuatur qui periculosior, improbiorque sit eorum auferendorum modus. Hinc bona dispescuntur I. in *mobilia*: II. *semoventia*: III. *immobilia*, quorum auferendorum diversos admodum modos esse debere, ideoque aut plus aut minus civium securitati infestos, facile intelliget quisquam.

ART. I.

DE DELICTIS, QUÆ BONA MOBILIA LÆDUNT.

§. 985. Horum bonorum indoles utpotequæ ablationis facilitatem suppeditat majori legum auxilio indiget. Hujusmodi autem bona I. aut citra domini voluntatem auferuntur, quod *furto proprio* admittitur: II. aut postea quam ea dominus sponte tradiderit aut possessionem amiserit quod *furto improprio*: III. aut machinatione ad dominum fallendum adhibita, quod *falso* et *stellionatu*.

§. 986. Hinc differentiæ veterum, recentiorumque IC. in definiendo furto: hinc juris ambages in speciebus classandis, quæ aut ad falsum aut ad stellionatum pertineant: hinc forensium nondum absolutæ disputationes ut furti proprii, improprii, et stellionatus veri propriique

(1) *Inst. lib.* 2. *tit.* 1. §. 1.

characteres statuantur: quibus omnibus rite recteque componendis unusquisque criminis titulus quantùm fieri poterit in sua specie distinctus hic nobis singillatim erit enucleandus.

DIVIS. I.

DE FURTO PROPRIO.

MEMBR. I.

De furti proprii definitione.

§. 987. Proprium, verumque furtum omnia complectatur oportet, quæ plenam alieni dominii violationem præseferunt. Hinc a recentioribus IC. recte definitur *alienæ rei mobilis dolosa ablatio invito domino, et lucri faciendi caussa facta* (1). In allata definitione omnia I. vel ad *ablationem*: II. vel ad *dolum* referuntur.

§. 988. I. Ablatio, quæ veluti delicti corpus habetur 1. aut *in se* consideranda est, 2. aut *in re*, quæ aufertur.

§. 989. 1. Ablatio in se considerata est amotio de loco ad locum (2). Locus, *ex quo* res amovetur, ille est ubi dominus vel per se, vel per alios rem deposuerat. Locus, *ad quem* rei ablatio fit, ille est, quo fur rem ferre destinaverat (3), qui cum certus esse nequeat tunc

---

(1) Cremani *lib.* 2. *c.* 7. *art.* 1. §. 1.

(2) Contrectationem Rom. IC. dixere. Contrectare est rem loco movere. Vicat. *Vocab. Jur.* verbo *contrectare vol.* 1. *pag.* 207. *col.* 1.

(3) *Dig. lib.* 47. *tot. tit.* 2.

ablatio perfecta ac consumata dici poterit cum fur rem loco movet, in quo eam dominus deposuerat (1). Auferre etiam dicitur qui aliquid fraudolenter a domini familiaribus vel alio custode eo colore recipit ut domino tradat: non item si aliquid a domino ipso fraudolenter accipere curet; tunc enim ablatio deficit, furtumque improprium evadit (2).

§. 990. 2. Res quæ aufertur I. *mobilis* oportet sit: mobilis autem efficitur si quid ex his, quæ in agro fixa erant, ut puta fruges, fructus, creta, arena aut aliud quid surripitur (3); ad rem immobilem quod attinet ea invadi non auferri dicitur (4): II. quæ *in commercio* hominum sit (5) cujuscumque tamen valoris etiam minimi (6): III. *aliena*; adeoque fur non est, qui rem suam quasi alienam interceperit (7): qui socius vel condominus rem communem intercipit dummodo aliter agendi modus aliæque res circumstantes haud suadeant (8): qui res nullius veluti pisces, volucres, libere vagantes

---

(1) Ita et Angliæ leges, de quibus Blackstone *coment. etc. B.* 4. *ch.* 17. §. 1. *n.* 2. si de modica contrectatione agatur ita ut domino rem suam recuperare facile fuerit, damni deficientia ad pœnam minuendam semper consideranda est.

(2) Poggi *loc. cit.* §. 11.

(3) Paoletti *lib.* 4. *tit.* 6. *v.* 2. *p.* 103.

(4) Cremani *loc. cit.* §. 6. Matth. *loc. cit. n.* 8.

(5) Boehm. *Elem. Jurispr. crim.* §. 166.

(6) Matth. *loc. cit. n.* 8. Cremani *loc. cit.* §. 6.

(7) Cremani *loc. cit.* §. 5.

(8) Matth. *loc. cit. n.* 6. Poggi *loc. cit.* §. 11.

occupat (1): qui res derelictas, quæ tales reapse sint, pariter occupet (2).

§. 991. II. Dolus hic est I. intercipiendi II. lucrandique animus. I. Hinc non intercipit sed utitur potius qui rem, domino volente et consentiente, amovet (3), vel per jocum substulit, vel demum aliquid amico jure amicitiæ subduxerit, nisi tamen color crimini quæsitus sit (4): non intercipit uxor marito (5), nec pater filio, nec filius patri (6) neque consanguinei sibi invicem intra quartum gradum constituti (7). Quamvis autem contra enumeratas personas actio famosa proponi nequeat, attamen cum furtum reapse patratum sit, si qui opem eis tulerint furti tenentur (8). II. Solus lucrandi animus sufficit quia lucrum fur reapse consecutus fuerit (9), etiamsi quis furetur ut alteri donet (10); lucrum

---

(1) Cremani *loc. cit.* §. 7. Poggi *loc. cit.* §. 12. *et not.* 33.

(2) Difficile tamen excogitari res possunt, quæ pro derelictis habeantur. Conf. Matth. *loc. cit. n.* 10. et Cl. Poggi *lib.* 4. *cap.* 3. §. 34.

(3) Cremani *loc. supr. cit.*

(4) Poggi *loc. cit.* §. 10. *n.* 27.

(5) Actio conceditur non famosa de rebus amotis in simplum *l.* 52. §. 1. 2. *tit.* 2. *lib.* 47. *Dig. l.* 1. 2. *tit.* 2. *lib.* 25. *Dig.*

(6) *L.* 16. 17. *tit.* 2. *lib.* 47. *Dig.*

(7) Conf. Matth. *loc. cit. n. ult.* Cremani *loc. cit.* §. 9. Præter conjuges, parentes et liberos, in quos actio famosa minime conceditur, alii consanguinei mitius extra ordinem puniuntur. Paoletti *lib.* 4. *tit.* 1. §. 1.

(8) *L.* 52. *tit.* 2. *lib.* 47. *Dig.* Matth. *loc. cit. n.* 12 *in fin.*

(9) *Inst. lib.* 3. *tit.* 1. §. 1.

(10) *L.* 54. *tit.* 2. *lib.* 47. *Dig.*

vero in hoc crimine non in quovis commodo captando consistit sed proprie est aliquid suis ex alienis fortunis addere (1), ex quo fit ut dolus seu faciendi causa I. aut crimen *mutet*, II. aut *imminuat*, III. aut prorsus *tollat*.

§. 992. I. Raptor non fur est qui libidinis explendæ caussa mulierem abduxerit (2): vis publicæ reus qui rem mobilem debitori suo ut sibi satisfaciat substulerit (3): damni dati si immaturos fructus ab alieno agro surripuerit (4). II. Lenius animadvertendum est in eum, qui errans aurum pro ære, quod putaverat, substulit (5): qui sive per se, sive per alios rem ablatam tempestive pœnitentia ductus domino restituit (6). III. Utrum animum lucrifaciendi is habeat, qui deficiente annona ac fame stimulante cibum alteri subtrahit interpretes disputant (7) quorum alii primævam hoc casu rerum communionem reviviscere, ideoque crimen non esse docent (8): alii crimen quidem esse, verum pœnam aut remittendam aut mitigandam esse autumant (9): alii denique et crimen et pœnam adesse contendunt eo quod inter homines civili-

---

(1) *L.* 36. *tit.* 2. *lib.* 39. *Dig.*
(2) *L.* 40. *tit.* 2. *lib.* 47. *Dig.*
(3) Matth. *lib.* 48. *tit.* 4. c. 1. *vol.* 3.
(4) Cremani *loc. cit.* §. 8.
(5) Paoletti *lib.* 4. *tit.* 1. §. 1. Poggi *loc. cit.* §. 14.
(6) Carpzov *quæst.* 80. *n.* 65.
(7) Matth. *lib.* 47. *tit.* 1. c. 1. *n.* 7.
(8) Grot. *de j. b. et p. lib.* 2. *c.* 2. Puffendorf. *de Jur. nat. et gent. lib.* 2. c. 6. Boehmer *ad Carpzov. quæst.* 83. *obs.* 3.
(9) Matth. *loc. cit.* Poggi *lib.* 4. *cap.* 1. §. 13.

tate instructos necessitas ob urgentem famem prorsus impossibilis sit (1).

§. 993. Furtum apud romanos crimen privatum fuit (2): apud nos publicum, publicaque actione vindicandum si de furto proprio non improprio agatur (3).

MEMBR. II.

De furti proprii divisionibus.

§. 994. Jure Romano plures erant furti species I. manifestum et nec manifestum: II. conceptum: III. oblatum: IV. prohibitum: V. exhibitum, quæ cum jamdiu in desuetudinem abierint, supervacaneum est explicare (4). Id tantum scitu dignum est, primam speciem ad furtum ejusque gravitatem, ceteras vero ad rem furtivam ipsam, illamque vindicandi modos, quod juris civilis est, pertinere (5).

§. 995. Moribus hodiernis utilior invecta est furtorum divisio. Furtum enim I. aut *simplex* est, solam scilicet dominii læsionem continens: II. aut *qualificatum* cum præter dominii læsionem aliud jus violat atque subvertit.

---

(1) Blackstone *Coment. on the laws of Engl. B.* 4. *ch.* 2. *n.* 4.

(2) Poggi *lib.* 4. *c.* 1. §. 6.

(3) Cod. Leop. *art.* 3.

(4) Conf. Cremani *loc. cit.* §. 10. *et auct. in not. cit.*

(5) Cremani §. 11. *et auct. in not. cit.*

§. I.

De furto simplici.

§. 996. Simplex furtum (§. 994.), ut de ejus imputatione et pœna recte statuatur, duplicem considerationem sortitur I. quoad *ablati quantitatem*: II. quoad pravam *furandi consuetudinem*.

N. 1.

De furto quoad ablati quantitatem.

§. 997. I. Cum crimina præcipue ex damno, quod pariunt, æstimanda sint (§. 107.) ablati quantitatem in furto considerandam esse nemo inficiabitur (1). Hinc recte furtum ratione quantitatis ablati in *parvum* et *magnum* dispescitur (2). Ablati vero quantitas, utpote relationis terminus, non ex conditione ejus, cui quid surreptum fuit, sed a societatis conditione, quæ læditur, desumenda est (3).

§. 998. II. Verum si non de furto pecuniæ agatur quomodo res ablata æstimabitur ? Non immoderatam cujusque luxuriam subsequi oportere Ulpianus docuit (4): resque idcirco com-

---

(1) Filangierius pœnæ æqualitatem tam in parvo quam in magno furto vindicare contendit. Illius errorem notat Nani *Principj di Giurisprudenza criminale* §. 216. *not.* 1.

(2) Cremani *loc. cit.* §. 17.

(3) Cremani *loc. cit. et auct. in not. laud.* Poggi *loc. cit.* §. 7. *et not.* 15. Carpzov *quæst.* 78. *n.* 17. *et seqq.* quæ summa olim magnum furtum constitueret docet Cl. Poggi *loc. cit.* §. 22.

(4) *L.* 40. *tit.* 2. *lib.* 39. *Dig.*

muni judicio committenda est (§. 372): attamen valoris ratio ipsius rei furtivæ non lucri, quod fur forte percepit, habenda est (1); ac si res perierit non in totum furato, ejusque familiaribus, neque furis ipsius confessioni fidendum, sed pœnæ modus tantisper remittendus est (2).

§. 999. III. Huc pertinet quæstio licet vulgari tamen difficilis utrum, qui *totum* contrectat *partem* aufert totius fur sit. Ulpiani ac Pauli de hac quæstione perplexitatem (3) dirimere conati sunt glossographi, cultioresque juris nostri scriptores (4). Hodie tamen, subtilioribus distinctionibus rejectis, Ulpiani sententia recepta est, qui contra Ofilium docet, in tantum quemque furti actione teneri quantum abstulerit (5). Si vero plures simul furati sint, non quod quisque lucratus est, sed quod omnes abstulerunt computandum (6).

§. 1000. Varia apud Romanos pro temporum diversitate furti pœna fuit. Omissa decemvirali sanctione quoad furis occisionem (7) eadem lege sancitum fuit ut ingenuus in furto deprehensus virgis cæsus illi, cui furtum factum fuerat, in servitutem addiceretur: servi autem furti mani-

---

(1) Carpzov *quæst.* 78. *n.* 52.

(2) Paoletti *lib.* 4. *tit.* 1. §. 1. *v.* 2. *p.* 5. Cremani *loc. cit.* §. 17. Poggi *loc. supr. cit.* §. 16.

(3) Conf. *l.* 21. *in princ. tit.* 2. *lib.* 47. *Dig. l.* 22. §. 1. *et ult. Dig. eod.*

(4) Matth. *lib.* 47. *tit.* 1. *c.* 1. *n.* 3. Cremani *lib.* 2. *c.* 7. *art.* 1. §. 6. *et auct. in not. cit.*

(5) Poggi *loc. cit.* §. 15.

(6) Disc. Carpzov. *loc. cit. n.* 34. *et seqq.*

(7) Conf. §. 916. *not. e Matth. lib.* 47. *tit.* 1. *c.* 2. *n.* 1.

festi rei verberibus afflicti e saxo Tarpejo dejiciebantur (1). In ceteris vero furtis, quæ manifesta non erant, pœna dupli imponebatur. Postea a Decemvirali lege recessum est, et retenta dupli pœna, furtum manifestum quadrupli pœna coercendum voluerunt Prætores (2). Deinde extra quoque ordinem criminaliter accusabantur fures apud Præfectum urbis, vel eum, cui criminalis jurisdictio demandata erat, et judicis arbitrio plectebantur: ita tamen ut novissima Justiniani constitutione capitale supplicium, vel membri abscissio pro simplici furto non imponeretur (3). Jure patrio simplex furtum, quod quinquaginta *scutorum* valorem exsuperat, opere publico per triennium coercetur, quæ pœna pro ablati quantitate ad vicennium usque augetur (4).

N. 2.

De furto quoad furandi consuetudinem.

§. 1001. Furtum vel *primum* est, vel *reiteratum* (5). Furem incorrigibilem interpretes dicunt, qui *tertium* furatus est (6). Quia vero rei-

---

(1) Matth. *loc. cit. n.* 2.
(2) Matth. *loc. cit. n.* 2.
(3) *Nov.* 134. *cap. ult.*
(4) *L.* 30. *Aug.* 1795. *art.* 19.
(5) Cremani *loc. cit.* §. 18.
(6) Matth. *loc. cit. c.* 3. *n.* 8. qui communem doctorum sententiam non satis legum auctoritati innixam contendit. Attamen reiteratio, si de modica quantitate ablata agatur, non attenditur. *L.* 30. *Aug.* 1795. *art.* 19. §. 9.

teratum furtum dicitur quando *diversa res*, *diversoque tempore* aufertur, in furtorum numero computando *tria* inspiciantur oportet.

§. 1002. I. *Rei furtivæ indoles*: adeout qui frumenti acervum minutatim aufert, et it reditque sæpius, partem acervi eripiens, non reiteratum sed unicum furtum facit (1).

§. 1003. II. *Furandi tempus*: pro uno eodemque habentur furta, quæ eadem die vel nocte, vel intra viginti horarum spatium quis admiserit (2). Non ea furta computantur tantum, quæ jam punita fuere sed et quæ impunita evaserunt dummodo probata sint (3): imo et quorum Princeps gratiam fecerit (4): non ea tamen, quæ temporis præscriptione extincta sunt (5).

§. 1004. III. *Furandi modus*: furta simplicia cum qualificatis recte conjunguntur ut fur pro secundo, vel tertio furto graviori pœna plectatur (6).

§. 1005. Jure patrio secundum furtum si in ea quantitate consistat, quæ publici operis pœna non coercetur, ea pœnæ specie vindicatur, quæ eam proxime subsequitur, qua primum furtum vindicatum fuisset: si vero ablati quantitas opere publico coercenda est, unico gradu exasperatur. Tertium furtum, quæcumque ablati quantitas fuerit, opere publico vindicatur (7).

---

(1) Matth. *loc. cit. n.* 10.

(2) *L.* 30. *Aug.* 1795. §. 19. *n.* 9.

(3) Disc. Matth. *loc. cit. n.* 10. Conc. Boehmer. *ad Carpzov. quæst.* 78. *obs.* 9.

(4) Matth. *loc. cit.*

(5) Matth. *ibid.*

(6) *L.* 30. *Aug.* 1765. *art.* 19. §. 19. Conf. Boehmer. *ad Carpzov. loc. cit. obs.* 10.

(7) *L.* 30. *Aug.* 1795. *loc. cit.* §. 6.

§. II.

Furtum qualificatum

§. 1006. Plura furtum qualificant, quæ omnia hic ex ordine recensentur, scilicet I. vis: II. malæ artes: III. locorum qualitas: IV. tempus: V. relationes fidei inter lædentem, et læsum.

N. 1.

De furto a vi qualificato.

§. 1007. Furti notio ablationem indicat, quæ fit sine vi, clam, et obscure (1). Si illud vis comitetur non *dominium* tantum sed *personæ securitas* læditur. Hinc jure Romano si vis in furto intercessisset cum furti actione legis Juliæ de vi concurrebat actio (2), Vis autem I. vel in *personas*, II. vel in *res* furti faciendi causa adhibetur.

De vi in personas.

§. 1008. Hujusmodi vis vel *physica*, vel *moralis* est, vel cum vel sine *armis*, vel cum *turba*, vel sine turba. Vis physica I. *rapinam* constituit: moralis II. *concussionem simplicem* (3).

---

(1) Matth. *lib.* 48. *tit.* 12. *c.* 1. *n.* 3.
(2) *L.* 1. *tit.* 20. *lib.* 9. *Cod.*
(3) Cod. Leop. *art.* 76. *l.* 30. *Aug.* 1795. *art.* 19. quomodo simplex concussio ab ea differat, quæ publi-

§. 1009. I. Rapina est *furtum per vim physicam admissum* (1); ideoque si vim adjicias omnia in hoc crimine concurrunt, quæ de furto jam diximus (2). Quia vero rapina furtum improbius est (3), res ablata vel magni, vel exigui pretii sit parum refert (4). Gravius autem imputatur crimen si cum armis vel cum turba, scilicet, coactis hominibus, perpetratum sit (5).

§. 1010. Romani, quibus rapina, veluti furtum privatum delictum habebatur, quadrupli pœna raptorem coerceri voluerunt (6). Poterat autem raptor extra ordinem accusari (7), pœnaque judicis arbitrio pro qualitate rei et personæ vel gravior, vel levior infligebatur (8). Quin etiam pro re nata plura cum accusatione extraordinaria publica concurrebant judicia (9).

§. 1011. Jure municipali simplex rapina publici operis pœna coercetur dummodo res abla-

---

cæ potestatis metu constituit, alibi diximus §. 817. Hinc patriarum legum nomenclaturam servandam ducimus quidquid aliter sentire videatur Cl. Poggi *lib.* 4. *c.* 6. §. 49. qui consulendus. Conf. Matth. *lib.* 47. *tit.* 2. *c.* 1. *n.* 1. quomodo concussio a scopelismo differat pariter diximus §. 749. Scopelismum ad simplicem concussionem refert. Poggi *loc. cit.* §. 51.

(1) Arg. *l.* 1. *tit.* 33. *lib.* 9. *Cod.* conf. Nani ad Matth. *lib.* 47. *tit.* 2. *c.* 1. *not.* 1.

(2) Conf. Matth. *loc. cit.* Poggi *dict. cap.* 6.

(3) Julian. *in l.* 14. *tit.* 2. *lib.* 4. *Dig.*

(4) Cremani *lib.* 2. *c.* 7. *art.* 2. §. 2.

(5) Conf. LL. quas affert. Cl. Poggi *loc. cit.* §. 53.

(6) §. 1. *Inst. tit.* 2. *lib.* 4.

(7) Matth. *loc. cit. c.* 2. *n.* 1.

(8) Matth. *ibid.*

(9) Matth. *loc. cit. n.* 2.

ta quinquaginta librarum pretium excedat. Si reus armis instructus violenter rem eripiat, quodcumque fuerit ablati pretium, ad opus publicum in perpetuum damnatur (1).

§. 1012. II. Concussio ideo a rapina distinguitur quod raptor vi rem aufert, concussor non tam aufert quam terrore injecto id efficit ut sibi pecunia aut res à domino detur (2). Concussionis accusatio extraordinaria ab actione *quod metus causa* differt eo quod illa *præsentis mali* metum desiderat, hæc *futuri* (3).

§. 1013. Concussionis pœna jure romano eadem quæ rapinæ fuit (4), quod et apud nos obtinet (5).

De vi in res.

§. 1014. Rerum nomine hic omnia artis præsidia intelligimus, quibus pecuniæ, reive suæ custodiendæ gratia paterfamilias utitur, quæ si fur perfregerit non furti tantum sed et vis privatæ reus efficitur (6). Hinc qualificatum furtum admitti qui furandi causa I. ædes, quamvis a ci-

---

(1) Cod. Leop. *art.* 76. 77. *l.* 30. *Aug.* 1795. *art.* 19. §. 3. 5.

(2) Ulp. *in l.* 14. §. *qui vim tit.* 2. *lib.* 4. *Dig.* Matth. *lib.* 47. *tit.* 7. c. 1. *n.* 1.

(3) Matth. *lib.* 47. *tit.* 2. c. 3. *n.* 1. Poggi *loc. cit.* §. 50.

(4) Matth. *lib.* 47. *tit.* 7. *c.* 2. *n.* 1.

(5) Cod. Leopold. *art.* 76. 77. *l.* 30. *Aug.* 1795. *art.* 19. §. 3. 5.

(6) Carp. *quæst.* 79. *n.* 4. Boehmer *ob.* 1. hujusmodi furtum *periculosum* appellat.

vitate remotas et vacuas (1), horrea, fenestras, parietes effringit dummodo id violenter et ante furtum fiat, adeout violentus effractor dici nequeat 1. qui tegulas in tectis effregerit, januam vel arcam, facili nisu disrupta compagine, reseravit (2), 2. qui cistam obseratam surripiat, illamque postea alibi effringat (3), vel simplici furto jam perpetrato aliquid rumpat (4): II. vel armis instructus alienas domos ingreditur (5): III. vel adhibitis scalis aut quovis instrumento, quod scalis æquipolleat, ædes ascendit (6) dummodo æque facilis ad furandum aditus non patuerit (7): IV. vel clavis adulterinæ, aut alii reserando apti instrumenti usu ædes ingressus fuerit (8).

§. 1015. Jure romano tamquam raptores habebantur effractores, vecticularii, perfossores (9), qui si diurni fustibus castigati in opus perpetuum vel temporarium dabantur: si nocturni fustibus cæsi in metallum detrudebantur (10). Jure nostro municipali furtum qualificatum, si ablati quantitas vigintiquinque scutorum pretium exce-

(1) Disc. Boehmer. *ad Carpzov. loc. cit. obs.* 1.
(2) Poggi *loc. cit.* §. 6.
(3) Poggi *loc. cit.* §. 15.
(4) Boehmer *ad Carpzov. obs.* 2.
(5) Boehmer *loc. cit.*
(6) Poggi *loc. cit.* §. 32.
(7) Boehmer *loc. cit. obs.* 5.
(8) Poggi *l. supr. cit.* astutum non violentum furtum clavi adulterina admissum contendit Carpzov. *loc. cit. n.* 41. cui subscribit Boehmer. *obs.* 4.
(9) Matth. *lib.* 47. *tit.* 2. *c.* 1. *n.* 1.
(10) *L.* 1. §. *ult. l. ult. tit.* 18. *lib.* 47. *Dig.*

dat, publico opere per triennium luitur, quæ pœna quoad tempus pro rei majori pretio augetur (1).

N. II.

De furto a pravis artibus qualificato.

§. 1016. Hujusmodi artium, quibus utplurimum negligentiores succumbunt, exempla exhibent saccularii, sectores zonarii, qui in turba et circulis hominum incautorum loculos secant: qui vetitas in sacculo artes exercentes partem subducunt partem subtrahunt: ii demum omnes, quibus ad furandum tanta est manuum agilitas ut, quemadmodum Mathæus notat, ingenium omne in digitos abiisse videatur (2).

§. 1017. Furibus supra memoratis jure romano gravior extra ordinem infligebatur pœna, et, ut Ulpianus loquitur, plusquam fures puniebantur (3). Saccularii enim aut ad tempus in opus publicum damnabantur, aut relegabantur, aut fustibus castigati dimittebantur (4). Apud nos sacculariorum furta qualificatis æquiparantur, eademque pœna plectuntur (5).

---

(1) Cod. Leop. *art.* 76. *l.* 30. *Aug.* 1795. *art.* 19. §. 2.
(2) *Lib.* 47. *tit.* 11. *n.* 3.
(3) *L.* 7. *tit. lib.* 47. *Dig.*
(4) *D. l.* 7.
(5) Cod. Leop. *art.* 76. *l.* 30. *Aug.* 1795. *art.* 19. §. 2. Paoletti *lib.* 4. *tit.* 1. §. 3.

N. III.

De furto a locis qualificato.

§. 1018. Ubi furta difficilius præcaveri possunt majori legum auxilio opus est. Loca ipsa igitur furtum improbius reddunt ut I. in *grassatione*: II. in *furto sacrilego*.

§. 1019. I. A raptore et concussore (§. 1008. 1011.) ratione tantum loci distat grassator: ii namque latera viarum non obsident (1) obsidet hic. Hinc *qui in viis publicis cum ferro aggredi, et spoliare prætereuntes instituunt grassatores dicuntur* (2). Obsessio viarum absque animo lucrifaciendi huc non pertinet, sed vel ad crimina contra tranquillitatem publicam spectat, vel circumstantia evadit, quæ crimen in sua specie distinctum prægravat (3). Viæ publicæ dicuntur quæ in solo publico sunt, per quas iter populo patet, quæ ad mare vel ad oppida pertinent (4): privatæ, quæ et agrariæ dicuntur, vel in agro sunt, vel ad agros ducunt, in quas exitur de via consulari (5).

§. 1020. Grassator spoliat tantum: latro obtruncat ut spoliet (§. 874.). Grassatores jure

---

(1) Matth. *lib.* 47. *tit.* 7. *c.* 1. *n.* 1.

(2) *L.* 28. §. *grassatores tit.* 19. *lib.* 48. *Dig.*

(3) De obsessione viarum ad lædendum agit Boehmer. *Elem. Jurisp. crim. sect.* 2. *c.* 9. §. 115 quæ pœna jure Romano in hujusmodi crimen sancita fuisset docet Cremani *l.* 2. *c.* 4. *art.* 10. §. 7.

(4) Isidor. *lib.* 15. *cap. ult.* apud Vicat *vocab. Jur.* verb. *via.*

(5) *L.* 2. §. 13. *tit.* 8. *lib.* 43. *Dig.*

romano aut relegabantur in insulam, aut metallo addicebantur, aut plectebantur capite si sæpius deliquissent (1). Jure patrio grassationis pœna, si ablati quantitas decem libras attingat, ad opus publicum per quindenos annos extenditur (2).

§. 1021. II. Sacrorum violatio (§. 701.), si cum furto concurrat, proprium verumque *sacrilegium* constituit (3): rectius si *finis* ab *effectu* distinguatur (§. 711.) qualitatem constituit, quæ furtum aggravat (4).

§. 1022. De furto jam diximus: superest ut de qualitate sacrilegii dicamus. Quia sine legis infractione frustra de delicto quæritur (§. 81.) oportet ut furtum sacrorum violationem præseferat, scilicet res auferatur, quæ ad publica sacra pertineat; cumque sine intentione nullum crimen sit (5) oportet præterea ut fur se sacra compilare cognoscat, quod ex loco arguitur (6). Hinc sacrilegii qualitatem in furto constituunt I. res, quæ subtrahitur: II. subtractionis locus (7).

---

(1) *L.* 28. §. 10. *tit.* 19. *lib.* 48. *Dig.* Cremani *lib.* 2. *c.* 4. *art.* 10. §. 7.

(2) *L.* 30. *Aug.* 1795. *art.* 19. §. 4. attamen cum de furtis violentis agatur semper inspicienda est lex 22. *Jun.* 1814. usque dum vim legis obtineat.

(3) *L.* 6. 9. *tit.* 13. *lib.* 48. *Dig.*

(4) Cod. Leop. *art.* 78.

(5) *L.* 5. *tit.* 13. *lib.* 48. *Dig.* qua Imp. Severus et Antoninus Saturnini sententiam rejecere in l. 16. §. *locus tit.* 19. *lib.* 48. *Dig.* Matth. *lib.* 48. *tit.* 10. *c.* 3. *n.* 3. Cremani *lib.* 2. *c.* 2. *art.* 6. §. 2. *et auct. in not. cit.*

(6) *Dict. l.* 5.

(7) Paul. *in l.* 9. *tit.* 13. *lib.* 48. *Dig.* Carpzov. *quæst.* 89. *n.* 3. 4. 5.

§. 1023. I. Sacræ res jure civili dicuntur, quæ rite per Pontifices consecratæ sunt (1). Hinc res ablata ab Episcopo consecrata oportet fuerit, parumque refert eam divino cultui dicatam fuisse. Primi generis sunt sacramentorum vascula, calices scilicet, patenæ, ostensoria etc. posterioris pictæ tabulæ, lampades, candelabra (2). Quoniam autem sacrilegium qualitatem furti non furtum constituit (§. 1020.) furtumque in rem extra commercium non cadat (§. 989.), res sacra, quæ aufertur, commercii capax oportet sit (3).

§. 1024. II. Ad locum sacrum quod attinet lex non rei veritatem sed publicam credulitatem desiderat. Hinc ædiculæ privatæ vel incustoditæ quamvis consecratæ locum sacrum haud constituunt, ex quo res sacra subtracta instar sacrilegii vindicetur: e contra sufficit ut locus, ex quo res sacra subtrahitur, publicæ non privatæ alicujus personæ aut familiæ religioni dicatus sit, quin de consecratione per Episcopum constet oporteat (4).

§. 1025. Fur, qui juxta civilium legum sanctionem sacrilegus dicitur, jure romano capite plectebatur (5). Patrio vero jure veluti qualifi-

---

(1) *Inst. lib.* 2. *tit.* 1. §. 8. verbum Pontifices ad Episcopos extendit Glossa *ibid.*

(2) Paoletti *lib.* 4. *tit.* 1. §. 8.

(3) Paoletti *loc. cit.*

(4) Paoletti *loc. cit.*

(5) Paul. *in l.* 9. *tit.* 13. *lib.* 48. *Dig.* Matth. *loc. cit. n.* 3. ibique Nani *in suis animadv. not.* 2. Poggi *lib.* 4. *c.* 3. §. 31.

cati furti reus coercetur (1). Illi, qui privata sacra compilaverint, vel sacrum de non sacro aut profanum de sacro abstulerint plusquam fures minusquam sacrilegi plectebantur (2). Apud nos crimen in simplex furtum abire videtur, adeoque pœna varia est pro rei ablatæ pretio (§. 999.).

N. IV.

De furto a tempore qualificato.

§. 1026. Recte animadversum est, furta eo gravius plectenda quo major est furandi copia atque occasio (3), quod accidit I. in incendio II. ruina III. naufragio.

§. 1027. In furto occasione incendii, ruinæ, naufragii admisso quatuor consideranda sunt, scilicet I. *locus*, qui efficit ut non solum res, quæ ab incendio, ruina, naufragio, sed et quæ ab adiacentibus prædiis subtrahuntur, improbius furtum constituant (4): II. *res ablata* ut sta-

---

(1) Cod. Leop. *art.* 78.
(2) Matth. *tit.* 48. *c.* 4. *n.* 11.
(3) Matth. *lib.* 47. *tit.* 11. c. 1. *n.* 1. Hinc jure romano furta noctu patrata severius plectebantur Matth. *lib.* 47. *tit.* 1. *cap.* 3. *n.* 6. quod tamquam absurdum, nimis leviter suo more, increpat Filangier. *l.* 3. c. 54. *n.* 4. attamen Filangiero subscribit Cl. Poggi *loc. cit.* §. 8. *n.* 17. atque in praxi furta nocturna eadem pœna qua diurna plectuntur Carpzov. *quæst.* 78. *n.* 9.
(4) *L.* 1. *tit.* 9. *lib.* 47. *Dig.* Cremani *lib.* 2. c. 7. *art.* 1. §. 15.

tuatur utrum ea peritura, vel nec peritura fuerit, pœnaque gravior locum habeat pro majori rei æstimatione (1): III. *tempus* ut si furtum in res cadat quamvis ex incendio ruina naufragio subtractas, si id longe postea acciderit, de furto simplici agendum est (2): IV. *consilium* ut si quis res alienas ex incendio ruina naufragio subduxerit ea mente ut eas custodiat, salvasque faciat ei, cujus sunt, præmio potius quam pœna dignus sit (3).

§. 1028. Jure romano cum actione prætoria in quadruplum (4) publica concurrebant judicia veluti legis Corneliæ de sicariis si ex naufragio quid raptum fuerit, pœnaque infligebatur aut fustium cum relegatione aut operis publici, vel metalli (5): item legis Juliæ de vi publica, cujus pœnæ subjiciebantur qui ex incendio quid rapuerint præter materiam (6). Jure municipali furta incendii, ruinæ, naufragii occasione patrata ad qualificatorum classem pertinent (7).

N. V.

De furto a relationibus fidei inter lædentem, et læsum qualificato.

§. 1029. Qui extraneo furatur dominia rerum

---

(1) *L.* 4. *Dig. eod.*
(2) Voet *ad Pandect. lib.* 47. *tit.* 9. *n.* 1.
(3) Voet *loc. cit.*
(4) Voet *loc. cit.*
(5) *L.* 8. §. *ult. Dig. eod.*
(6) *L.* 3. §. 3. *tit.* 6. *lib.* 48. *Dig.*
(7) Cod. Leop. *art.* 75.

tantum violat: qui patrifamilias, a quo inter suos vel ut familiaris, vel ut famulus receptus est, non tantum dominia rerum, sed et hospitii jura et datam fidem violat (1). Hinc distinctio furti in *domesticum* et *extraneum* (2).

§. 1030. Iterum furtum domesticum vel a consanguineis, vel affinibus, vel familiaribus; qui occasione cohabitationis aliquid abstulerint; vel a famulis mercede conductis committitur. Illud furtum *domesticum in genere*: hoc furtum *cum famulatu conjunctum* dici potest (3).

§. 1031. Furtum familiarium, consanguineorum et affinium (§. 990.) simplex furtum est (4). Furtum famulorum, ancillarum, nec non administrorum mercede conductorum *famulatum* constituit, ac veluti qualificatum punitur (5). Duo tamen ad hanc *qualitatem* in furto constituendam requiruntur I. ut fur famulus mercede conductus sit ejus, cui furatus est (6), nec ab eo dimissus (7): II. ut res ablata ad herum jure dominii pertinuerit (8).

---

(1) Matth. *lib.* 47. *tit.* 1. *c.* 3. *n.* 3.

(2) Caravita *lib.* 4. §. 1. *c.* 24. *n.* 66. Jure romano furta domestica inter leviora adnumerabantur. Renazzi *lib.* 4. *p.* 4. *c.* 11. §. 12.

(3) Paoletti *lib.* 4. *tit.* 1. §. 2.

(4) Matth. *loc. cit.* Voet *ad Pandectas lib.* 47. *tit.* 2. *n.* 19. *l.* 15. *Jan.* 1744.

(5) Cod. Leop. *art.* 75.

(6) *L.* 11. §. 1. *tit.* 19. *lib.* 48. *Dig.*

(7) Paoletti *lib.* 4. *tit.* 1. §. 2.

(8) Paoletti *loc. cit.* Poggi *lib.* 4. *cap.* 3. §. 30.

De rerum furtivarum receptatoribus, emptoribus, et contrectatoribus.

§. 1032. Quamvis de receptatoribus alibi dictum sit (§. 232. 826.) attamen ad furtum quod attinet nonnulla scitu digna supersunt, quæ ad hujus criminis imputationem fusius enucleandam apprime conferunt (1).

§. 1033. Inter receptatores distinguendi sunt qui furem, quique rem furtivam receperint. Furis receptatio quamvis eo consilio admissa, ut ejus adjuvetur fuga, furtum non est (2).

§. 1034. Rerum furtivarum receptatio, quin ulla præcedens extiterit criminis societas, ut ad crimen referri possit res ipsa furtiva requiritur, ideoque pecunia haud sufficit; in quam res furtiva, vel res, in quam pecunia furtiva redacta fuerit (3): secus vero si ex ablata materia receptator novam fecerit speciem (4).

§. 1035. Verum etiamsi de re ipsa furtiva

---

(1) Multæ sunt in Europa leges latæ, quæ rerum furtivarum receptatores aut emptores tamquam fures puniendos statuunt, quasque merito crepat Montesquieu *Esprit des loix liv.* 29. *ch.* 12. Id apud Græcos et Romanos obtinuit quia furti pœna vel dupli vel quadrupli fuit. Aul. Gell. *Noct. act. lib.* 11. *c.* 18. Plat. *De legib. Dial.* 9. 12.

(2) *L.* 64. *tit.* 2. *lib.* 47. *Dig.* Poggi *lib.* 4. *c.* 1. §. 19. *Disc. l.* 22. *Jun.* 1814. §. 5.

(3) *L.* 49. §. *fin. tit.* 2. *lib.* 47. *Dig.* Paoletti *lib.* 4. *tit.* 1. §. 9. Poggi *loc. cit.* §. 18.

(4) Poggi *loc. cit. dict.* §. 18. *et not.* 55.

agatur, quam quis aut receptaverit aut emerit, distinguendum, quoad doli æstimationem, inter vitii scientiam, quam receptator aut emptor *ante*, vel *post* admissum furtum, vel *post* receptationem aut emptionem habuit.

§. 1036. Si receptator aut emptor furtum noverit atque in illud consenserit tamquam particeps sociusve criminis eadem pœna, qua fur, plectendus est (1): si furtum equidem noverit non qualitatem, quæ furtum ipsum exageravit, paulo severius, quam simplicis furti reus, coercebitur (2); simplici furti pœnæ subjiciendus est si criminis, ejusque qualitatum scientiam post admissum furtum, ante vero receptationem aut emptionem habuerit (3): quod fortius obtinet si vitii scientia receptationem, emptionemve subsequuta sit: tunc enim emptor aut receptator ideo in publica commoda peccavit quia curiæ rem ablatam haud exhibuit (4). Malæ fidei possessor, etiamsi res aut consumpta aut alienata fuerit, æstimationem domino restituere tenetur (5). Mala autem fides ex personarum qualitate, ex emptionis loco, tempore, pretio, aliisque similibus circumstantiis arguitur (6).

---

(1) Modo tamen furto opem præbuerint Carpzov. *quæst.* 87. *n.* 47.

(2) *L.* 9. *Sept.* 1681. *art.* 11. Farinacc. *quæst.* 126. *n.* 62. Mascard. *De probat. concl.* 189. *n.* 21.

(3) Poggi *animadv. MS. ad Paoletti op. loc. cit.*

(4) *L.* 9. *Sept.* 1681. §. 12. Paoletti *loc. supr. cit.* Poggi *lib.* 4. *c.* 1. §. 19.

(5) Carpzov *quæst.* 87. *n.* 70.

(6) Poggi *loc. cit.* De Angelis *De delict. c.* 60. Paoletti *lib.* 4. *tit.* 1. §. 9.

§. 1037. Bonæ fidei possessor neque ad pœnam neque ad læso damna sarcienda obstringitur (1). Ceterum cum res furtivæ usucapi nequeant (2), consequens est ut ipse bonæ fidei possessor rem furtivam domino restituere, non refuso sibi pretio, cogatur (3).

§. 1038. Rei furtivæ contrectator moribus hodiernis dicitur qui rem in extero statu ablatam apud nos distrahit aut negotiatur (4). In hujusmodi contrectatoribus distinguendum inter eos, qui subditi, eosque, qui non subditi civitatis nostræ sunt (5). Ad eos quod attinet, qui nec ratione originis nec domicilii subditi sunt, quoniam ii non furti sed contrectationis tantum rei sunt, quæ minus odii quam furtum habet (6), carcer aut exilium adhibendum est, ut contra delinquentes advenas leges generatim statuunt (7), dummodo tamen quantitatis contrectatæ tantum habeatur ratio (8): subditi autem, qui tales ratione originis vel domicilii sunt, eadem pœna plectuntur, quæ furto, si apud nos admissum fuisset, a legibus nostris statuitur (9).

---

(1) Carpzov *quæst.* 87. *n.* 65.

(2) *Inst. lib.* 2. *tit.* 6. §. 3. *l.* 84. *tit.* 2. *lib.* 47. *l.* 4. §. 6. 12. *tit.* 3. *lib.* 41. *Dig.*

(3) *L.* 2. *tit.* 2. *lib.* 6. *Cod.* Carpzov *qu.* 87. *n.* 69.

(4) Paoletti *lib.* 4. *tit.* 1. §. 10.

(5) *L.* 9. *Sept.* 1681. §. 16.

(6) Disc. Bart. *in l. l. si dominum Dig. de furtis* Conc. Decian. *Tract. crim. lib.* 4. *c.* 17. *n.* 15. Bonifac. *de furt.* §. 3. *n.* 30.

(7) Cod. Leop. *art.* 55.

(8) Paoletti *loc. cit.*

(9) *L.* 9. *Sept.* 1681. §. 16. Poggi *animadv. MS. ad Paoletti op. loc. cit.*

DIVIS. II.

De furto improprio, ejusque variis speciebus.

§. 1039. Furtum proprium omnia complectitur, quæ dominii læsionem constituunt (§. 986.). Furtum improprium jura dominii equidem violat non tamen omnia: adeout rei ablatæ dominus contrectationi quadantenus consensisse, vel non omnino repugnasse videatur (1). Hujus rei exemplum exhibet furti definitio, quam IC. Paulus posuit inquiens, *contrectationem esse rei fraudolosam vel ipsius rei, vel* USUS *ejus*, POSSESSIONISVE: *quod lege naturali prohibitum est admittere* (2): in qua definitione *usus*, *possessionisve* interversio vel rei traditionem, vel possessionis interruptionem in rei ipsius domino necessario supponit.

§. 1040. Recte igitur, statim ac furti actio privata, pœnaque pecuniaria esse desiit, ab interpretibus inter furtum proprium et improprium invecta distinctio est (3). Duplici autem ratione rei alienæ contrectatio furtum improprium non proprium constituit I. ob rei traditionem interceptori a domino factam, ut accidit in *offucia* et *fraudata administratione*, II. ob possessionis in ipso domino deficientiam ut accidit in *rei inventæ furto*, atque in *expilata hereditate*.

§. 1041. *Offucia* ita dicta a fuco, quo veram

---

(1) Conf. Cremani *lib.* 2. *c.* 7. *art.* 8. §. 11.
(2) Paul. *lib.* 2. *sent. tit.* 31. §. 1.
(3) Paoletti *lib.* 6. *tit.* 3. *in princ.* Voet in *Pandect. lib.* 47. *tit.* 2. *n.* 15.

faciem fœminæ dissimulant (1), seu, ut recensiores dicunt: *Truffa, crimen eorum est, qui rem ex legitimo contractu dominium non transferente, vel alias non invito domino acceptam contra contractus legem, ipsiusque domini voluntatem in proprium usum convertunt aut ad suum commodum distrahunt* (2).

§. 1042. Truffa admitti potest vel *cum dolo*, vel *sine dolo*, ut inquiunt, *ab initio* (3). Cum dolo ab initio dicitur truffa cum quis, ut rem mobilem a domino ex contractu dominium non transferente habeat, machinationem adhibet, quæ truffæ species cum stellionatu confunditur (4). Sine dolo ab initio dicitur truffa cum rem mobilem intercipiendi propositum illius traditionem ex legitimo contractu subsequitur (5). Illa instar simplicis furti punitur, hæc habita ratione sexus delinquentis, nec non minoris, vel majoris rei ablatæ pretii extra ordinem coercetur (6). In

---

(1) Poggi *lib.* 4. *c.* 2. §. 23.

(2) Scannarol. *De visit. carcer. lib.* 1. *c.* 13. *n.* 23. *op.* Poggi *loco citato*, cujus definitionem tamen aliquantulum mutandam censuimus. Plura offuciæ exempla, quæ ad furtum referuntur, in jure romano occurrunt. *Dig. lib.* 47. *tit.* 2. *l.* 19. §. *qui rem. l.* 41. *l.* 44. §. 1. *l.* 56. *l.* 34. *Cod. lib.* 6. *tit.* 2. *l.* 7.

(3) Cod. Leop. *art.* 79. Paoletti *lib.* 6. *tit.* 3.

(4) Poggi *loc. cit.* §. 25. conf. quæ subnectuntur §. 1064.

(5) Simplex rei traditæ usus contra contractus legem ipsaque rei deterioratio interversionem haud constituit, ac civiliter agendum est. Interversio est rei distractio. Poggi *loc. cit.* §. 24. Furtum usus, quod memorat Paoletti *lib.* 4. *tit.* 1. §. 1. in res cedit, quæ a domino traditæ haud fuerunt.

(6) Paoletti *loc. supr. cit.*

utraque vero neque Judex ex officio, neque publicus accusator procedere potest, atque læsi querela requiritur (1).

§. 1043. *Fraudata administratio* sive delictum illorum, qui aliena privata negocia gerentes pecuniis sive rebus sibi creditis abutuntur, easque in proprios usus convertunt, simplici furto æquiparatur, eademque pœna coercetur (2). Quia vero administrationis velamen furtum temperat, administrator antequam de furto postuletur ad rationes reddendas civiliter conveniendus est (3).

§. 1044. *Rei inventæ furtum* ideo improprium dicitur (4) quia inventor rem non contrectat ab alio possessam utpote quæ in domini detentione amplius non est (5). Qui rem inventam domino, si noverint, haud restituant, aut si non noverint judici haud denuncient, extra ordinem coercentur (6).

§. 1045. Qui rem hereditariam mobilem, antequam heres eam adierit, et possidere cœperit, intervertit, non furti sed *expilatæ hereditatis* actione conveniri potest (7). Cum enim dominii

---

(1) *L.* 30. *Aug.* 1793. *art.* 5. fraudibus exceptis, quæ ad lanam et sericum pertinent. Poggi *loc. cit.* §. 28. iisque a magistris navium admittuntur. Poggi *loc. cit.*

(2) Cod. Leop. *art.* 59.

(3) Poggi *loc. cit.* §. 27.

(4) Paoletti *lib.* 4. *tit.* 1. §. 11. attamen usu receptum est ex officio in hujusmodi furtum inquirere *ibid.*

(5) Carpzov *quæst.* 86. *n.* 2.

(6) L. 9. *Sept.* 1681. §. 13. Paoletti *loc. cit.*

(7) Matth. *lib.* 47. *tit.* 12. c. 1. *n.* 1.

et proprietatis jura in jacentem hereditatem nemo sibi quæsiverit, hinc proprie furtum illius admitti nequit (1).

§. 1046. Expilationis nomine agunt illi, quorum interest scilicet heredes adversus rerum hereditariarum expilatores, excepta uxore ejus de cujus hereditate agitur: quæ, si quid de rebus mariti hereditariis abstulerit, actione ad exhibendum conveniri potest (2). Eadem societatis ratio, quæ inter maritum et uxorem, efficit ut neque heredi adversus coheredem hujusmodi actio detur (3).

§. 1047. Pœna hujus criminis arbitrio judicis relinquitur (4), eamque ad corporalem coercitionem extendi posse unanimi consensu tradunt interpretes. In Etruria quoque expilator extra ordinem coercetur (5).

DIVIS. III.

DE FALSO, ET STELLIONATU.

§. I.

De crimine falsi.

§. 1048. Falsi crimen sensu politico acceptum, nam morali sensu latius potet, recte definitur

---

(1) *Dig. lib.* 47. *tit.* 2. *l.* 68.
(2) Matth. *loc. cit. n.* 3.
(3) Matth. *ibid. n.* 4.
(4) Matth. *loc. cit. c.* 2. *n.* 1.
(5) Menoch. *De arbitr. cas.* 300. Sabelli *Pratica Univers.* verb. *furti n.* 14.

fraudolenta veritatis immutatio in alterius damnum facta (1): falsi reus efficitur qui falsitate ab alio condita scienter utitur (2). Hinc falsi crimen constituunt I. factum, quo veritas immutetur: II. fraus: III. alterius damnum sive *actu*, sive *potentia* (3).

§. 1049. I. Veritatis immutatio a *subiecto*, cui inest, æstimatur: atque ab ea infinitæ falsi species suum peculiare nomen sortiuntur, quod vel a *Romanorum legibus*, vel *ex moribus* adstruitur.

§. 1050. Juxta *Romanas leges* falsi species I. aut ex *lege Cornelia*: II. aut ex *Senatusconsultis*: III. aut ex *constitutionibus Principum* descendunt (4). Hinc *falsi*, ac *quasi falsi* orta distinctio, illud, quod lege Cornelia: hoc quod senatusconsultis, et constitutionibus Principum vindicatur (5).

§. 1051. I. Lex Cornelia falsi species ad duo summa capita referebat, quorum alterum *testamentarium*, alterum *nummarium* nuncupabatur (6), de quo fusius alibi. Falsum testamen-

---

(1) Matth. *lib.* 48. *tit.* 7. c. 1. *n.* 1. Melchiori *Del falso e dello spergiuro c.* 7. *n.* 1.

(2) Tusch. *lib.* 2. *concl.* 41. *n.* 8. Clar. §. *falsum per tot.*

(3) Menoch. *De arbitr. cas.* 306. *n.* 33. Bajard, *ad Clarum dict.* §. *falsum.*

(4) Matth. *lib.* 48. *tit.* 7. c. 1. *n.* 1.

(5) Matth. *loc. cit.*

(6) Cremani *lib.* 2. c. 7. *art.* 8. §. 5. legem hanc tulit L. Cornelius Sylla Dictator. Heinec. *Ant. rom. lib.* 4. *tit.* 18. §. 63. hujusque legis nomine falsi materies inscribitur *Dig. lib.* 48. *tit.* 10. *Cod. lib.* 9. *tit.* 22.

tarium aderat si quis verum testamentum amoverit, celaverit, eripuerit, deleverit, interleverit, subiecerit, resignaverit, vivo testatore aperuerit, falsum scripserit, signaverit, recitaverit (1).

§. 1052. II. Senatusconsultis Liboniano, Claudiano (2), iisque, quæ Licinio, et Tauro: Cotta et Messala: demumque duobus Geminis consulibus prodiere, cautum fuit ut pœna falsi afficeretur qui ad scribendum testamentum adhibitus sibi vel suis aliquid emolumenti adscripsisset, qui contra signum suum testimonium dixisset, qui accepta pecunia, pactove, aut societate inita se obstrinxissent ut testimonia cogerent vel litem aut advocationem instruerent, qui dolo malo adversus innocentem conspirassent (3).

§. 1053. III. Principum constitutionibus, ac prudentum interpretatione in legem Corneliam incidebant qui subscriptiones Principum imitabantur, qui nomine Prætoris falsum edictum proposuissent, aut falsas literas reddidissent: qui aliquid a Principe per obreptionem obtinuissent: qui judicando adversus jus publicum decrevissent: qui vinum, frumentum vendendo aut res ipsas corrupissent, aut ponderibus adulterinis usi fuissent (4).

---

(1) Matth. *loc. cit. n.* 2.

(2) Alii non duplex sed idem hoc SC. fuisse arbitrantur. Nani *ad Matth. loc. cit. not.* 4.

(3) Matth. *loc. cit.* Cremani *loc. cit.* §. 6. 7.

(4) Cremani *loc. cit.* §. 8. Eos, qui merces et pondera falsant, stellionatus non falsi reos effici concedere nequeo conf. Cl. Poggi *lib.* 4. *c.* 8. §. 61. Matth. *loc. cit. n.* 16. ibique Nani *not.* 12.

§. 1054. *Ex moribus* falsi crimen in quatuor species dispescitur scilicet *personale*, *verbale*, *reale*, *scriptum* (1): quæ divisio cum suam basim a *physica* objectorum natura, in quæ falsi crimen cadit, præcipue sumat, politico imputationis scopo parum utilis est. Satius ex objectorum entitate politica falsi divisio erui posset falsum ipsum distinguendo quatenus in alterius damnum violat I. quæ ad jus publicum referuntur, ac ad summum Imperantem directe pertinent: II. quæ ad Justitiæ administrationem: III. quæ ad commercia: IV. quæ ad civium statum: V. quæ ad civium testamenta, contractus etc. (2).

§. 1055. II. Falsi definitio non dolosam tantum sed *fraudolentam* veritatis immutationem desiderat (§. 1047.): adeout etiamsi dolo quidem veritas immutata fuerit, non ita tamen improbe, ut alium decipere possit, dolus iste infra legis animadversionem est (3). Ceterum cum improbior, graviorque fraus in hoc crimine requiratur, si culpa peccatum sit facile ignoscendum (4).

§. 1056. III. Quoniam alterius damnum in hoc crimine tam *actu*, quam *potentia* contemplandum est (§. 1047.) difficilis exoritur quæstio

---

(1) Paoletti *lib.* 4. *tit.* 5. Cremani *loc. cit.* §. 4. Melchiori *Del falso e dello spergiuro cap.* 2. *n.* 28.

(2) Conf. Cod. *du Faux* par Serpillon. *Lion.* 1774. *p.* 224. *et seqq.*

(3) Matth. *loc. cit. n.* 1. Conf. Paoletti *lib.* 4. *tit.* 5. *v.* 2. *pag.* 91.

(4) Matth. *loc. cit. cap.* 2. *n.* 3. ibique Nani *not.* 5.

at recta conatus non tantum imputatio sed et ipsa notio statuatur.

§. 1057. Si falsitas in actum aut per se nullum, aut adhuc imperfectum cadat, quoniam nocendo idonea non est, crimenque objective tantum subsistit legum animadversionem effugiet (1), falsitate tamen excepta in scripturis publicis, quæ res cum mali exempli sit semper pœnæ a legibus recte subjicitur (2).

§. 1058. Si de falsitate agatur, qua in sua *materialitate* perfecta quis adhuc usus non fuerit, distinguendum inter falsum privatum, illud scilicet, quod jura privatorum tantum violat, et falsum publicum, quod jura publica lædit. In falso privato, si periculum admodum grave haud sit, conatus facile dimittendus est: in publico puniendus etiamsi detecta fraude spes lucri decollaverit (3).

§. 1059. Jure romano, teste Marciano, falsi crimen generaliter in liberis deportatione, bonorumque publicatione, in servis autem ultimo coercebatur supplicio (4). Verum aliquando liberis etiam hominibus gravior vel levior pœna pro admissi qualitate irrogabatur (5). Jure patrio falsum in scriptis afflictiva poena luitur pro majori vel minori damno, quod attulit vel allaturum fuerat, et pro scriptorum ipsorum natu-

---

(1) Conf. *l.* 6. *t.* 22. §. *et eo servo. Dig. h. t.* Melchiori *Del falso etc. c.* 2. *n.* 7.
(2) Cod. Leop, *art.* 93.
(3) L. 8. *Cod. h.* 3. *l.* 19. *Dig. eod.*
(4) *L.* 1. §. *ult. tit.* 10. *lib.* 48. *Dig.*
(5) Matth. *loc. cit. cap.* 2. *n.* 1.

ra, si privata scilicet sint vel publica, quæ pœna pro rei gravitate ac qualitate personarum ad opus publicum per vicennium extenditur (1). Falsum cum furto conjunctum non tamquam crimen in sua specie distinctum, sed tamquam *qualitas* furto inhærens consideratur (2).

§. II.

De crimine stellionatus, ac speciebus stellionatui affinibus.

§. 1060. Quodcumque fraudis vel imposturæ genus ad alterum decipiendum, fallendum, circumveniendum adhibitum, cui neque lege Cornelia, neque Senatusconsultis, neque constitutionibus Principum, aut Prudentum interpretatione falsi nomen inditum sit, stellionatus dicitur a stellione, quod animal versatissimum, et hominum invidum juris nostri interpretes dicunt, de qua re sit apud eos fides (3).

§. 1061. Singularia hujus criminis sunt I. ut titulo criminis deficiente illic stellionatus objiciatur (4), quod ad illius *species* attinet: II. ut quod in privatis judiciis præstat de dolo actio

---

(1) Cod. Leop. *art.* 93.

(2) Paoletti *lib.* 4. *tit.* 5. falsum subtilissimum furtum semper esse animadvertit Damohud. *Prax. crim. cap.* 119. Melchiori *Del falso etc. c.* 2. *n.* 12.

(3) Plin. *Histor. natur. lib.* 3. *c.* 10. De Simoni *Delitti di mero affetto n.* 2. §. 14. Melchiori *Del falso etc. cap.* 2. *n.* 24. *et seqq.*

(4) Ulp. *in l.* 3. *tit.* 20. *lib.* 47. *Dig.*

id in criminalibus stellionatus persecutio (1), quod ad actionis indolem: III. ut stellionatus a falsitate, a furto improprio, atque offucia cum dolo ab initio recte sejungatur, quod ad delicti titulum.

§. 1062. I. Stellionatus, qui dolo dumtaxat constat (2), et *simulatione* et *dissimulatione* perficitur (§. 94.). Hinc species stellionatus sunt si quis rem alii obligatam, dissimulata per calliditatem priore obligatione, alii obligaverit (3). Si quis rem alienam pignori dederit (4): vel æs pro auro (5): si quis merces supposuerit, vel obligatas averterit, aut corruperit (6): et generaliter si quis imposturam fecerit in necem alterius (7), ut puta si divitem te simules ut eo grandius æs alienum conflare possis (8).

§. 1063. II. Animadversione dignum est, quod Ulpianus innuit, scilicet non opus esse species enumerare cum, deficiente criminis titulo, stellionatus objici possit (9): solent autem ut plurimum IC. rem per exempla definire (10); quod et ipse Ulpianus in explanando stellionatu perhi-

---

(1) *Dict. l.* 3.

(2) Poggi *lib.* 4. *c.* 9. §. 78. De Simoni *Delitti di mero affetto p.* 1. *c.* 9. §. 7.

(3) *L.* 3. *tit.* 20. *lib.* 47. *Dig. l. ult. tit.* 34. *lib.* 9. *Cod.*

(4) *L.* 2. *Cod. eod. tit. l.* 16. §. 1. *tit.* 7. *lib.* 13. *Dig.*

(5) *L.* 1. §. *ult. l.* 36. *pr. Dig. eod. tit.*

(6) *L.* 3. §. 1. *tit.* 20. *lib.* 47. *Dig.*

(7) *Dict. l.* 3. §. 1.

(8) Matth. *lib.* 47. *tit.* 13. *n.* 5.

(9) *Dict. l.* 3. *in fin.*

(10) Constal. *lib.* 2. *var. ambig. cap.* 4.

buit. Ast quæ erit hujus criminis *nota characteristica* (1)? Anne quæcumque calliditas, fallacia falsum innominatum, stellionatusque erit? Ast quis usus actionis civilis *de dolo malo*, quæ in subsidium dolo circumvento datur (2)?

§. 1064. Idem Ulpianus ait, *famosam* actionem non temere a Prætore concedendam esse si sit *civilis* vel *honoraria*, quam quis possit experiri (3): quod si in judiciis privatis obtinet multo magis in extraordinariis obtinebit, quæ longe graviora sunt. Pomponius vero nonnisi ex *magna*, et *evidenti calliditate* de dolo actionem impertiendam statuit (4). Aqua hæret interpretibus dum docent, necesse esse ut dolus certus sit, quod si ad illius evidentiam, ad magnitudinem tamen nil confert (5). Rectius dixeris, magnam et evidentem calliditatem eam esse, qua diligentissimus quisque decipi facile possit, adeout si de impostura agatur, quam quisque vel levi adhibita diligentia cognoscere potuerit, non stellionatus judicium extraordinarium concedendum erit, sed actio de dolo in judicio civili proponenda (6). Quapropter summa æquitate

---

(1) Difficultatem dirimere aggressi sunt Stryck. *op. tit. de stellion.* §. 1. Titius *in Jure priv. lib.* 5. *cap.* 8. §. 1. Beyer. *ad Dig. tit. de stellion.*, quos refert Boehmer. *ad Carpzov. quæst.* 93. *obs.* 2.

(2) *L.* 7. §. 7. *tit.* 3. *lib.* 4. *Dig.*

(3) *L.* 1. *Dig. eod. tit.*

(4) *L.* 7. §. *ult. Dig. eod. tit.*

(5) Paoletti *lib.* 6. *tit.* 3.

(6) Conc. *l.* 44. *tit.* 2. *lib.* 47. *Dig.* §. *quis nihil.* Hinc non facile assentior Cl. Poggi qui et latam cul-

a legibus constitutum est, ut oblato debito criminis instituendi causa penitus perimatur (1).

§. 1065. III. Furtum a falso innominato (2), ac stellionatum a falso (3) non semper probe dispexere romani IC. Recentioribus interpretibus placuit, nimia forsan juris subtilitate, offuciam cum dolo ab initio a stellionatu distinguere dum dicunt, offuciam esse cum res a domino traditur titulo ad transferendum dominium haud idoneo, stellionatum, si titulus traditionis dominio transferendo habilis sit (4). Ast cum dolus tam in offucia, cui causam dedit, quam in stellionatu consensum in domino rem tradente penitus vitiet, ac traditionis titulum irritum faciat, nescio cur hujusmodi titulus ad crimen constituendum consideratione sit dignum, dum et offucia, et stellionatus æque calliditas, fallacia, machinatio ad alterum fallendum sint, nempe dolus malus (5). Nulla igitur juris ratio evincit,

---

pam ad stellionatum referri posse contendit *lib.* 4. *c.* 9. §. 73. Jamdiu observatum fuerat, multas species nimia facilitate ad stellionatum et a romanis legibus et ab interpretibus relatas fuisse. Conf. *l.* 29. §. *in omnibus tit.* 1. *lib.* 17. *Dig.* Raynald. *vot. crim.* 143. Quoad hunc delicti titulum criminalistas ignorantes vocat de Simoni *Delitti di mero affetto p.* 2. *c.* 2. §. 14. *in fin.*

(1) *L.* 1. *tit.* 34. *lib.* 9. *Cod.* apud nos, ob generalem legis locutionem, nisi jam instituta fuerit actio *l.* 30. *Aug.* 1795. *art.* 5.

(2) Exemplum habes in *l.* 44. *tit.* 2. *lib.* 47. *Dig.* in qua interpretanda adhuc insudant forenses.

(3) Exemplo sunt responsa Pauli in *l.* 21. *tit.* 10. *lib.* 48. et Ulpiani *l.* 3. *tit.* 20. *lib.* 47. *Dig.*

(4) Paoletti.

(5) *L.* 1. §. 2. *tit.* 3. *lib.* 4. *Dig.*

ut inter offuciam cum dolo ab initio, et stellionatum aliqua adsit differentia, quæ in criminum titulos influat (1).

§. 1066. Stellionatus pœna jure romano judicis arbitrio relinquebatur, quæ tamen in plebeiis opus metalli, in honestioribus vero relegationem ad tempus, vel ab ordine remotionem excedere nequibat (2). Apud nos eadem regula, qua furtum simplex (§. 999.), stellionatus coercetur (3).

§. 1067. *Improba et ficta mendicitas* inter crimina stellionatui affinia recenseri solet, quæ crimen eorum est, qui validi per inertiam vitam transigunt, morbos simulant, et stipibus corrogandis populum circumeunt (4). Hujusmodi crimen apud Romanos extraordinarium fuit (5), expeditque juris est, instar stellionatus pro rebus circumstantibus esse coercendum (6).

§. 1068. *Alea* non uti stellionatus sed uti criminis occasio huc solet referri. Homo ita est a natura comparatus ut ad aleam vehementi quodam instinctu trahatur (7). Optandum siquidem non æque tamen sperandum, hujusmodi instinctum legum rigore compesci penitus posse. Ce-

---

(1) Conf. Cremani *loc. cit.* §. 11. *not.* 1.
(2) *L.* 3. §. *pœna D. h. T.*
(3) Cod. Leop. *art.* 79.
(4) Matth. *lib.* 47. *tit.* 16. *c.* 3. *n.* 1.
(5) Matth. *loc. cit. n.* 1.
(6) Poggi *lib.* 4. *cap.* 9. §. 76. Paoletti *lib.* 4. *tit.* 1. §. 4. Improba tantum mendicitas ad politiam, ficta ad justitiam pertinet.
(7) Dusaulx *De la passion du jeu depuis les temps anciens jusqu' a nos jours. Paris* 1779.

terum alea seu fortunæ lusus si *in se* consideretur seorsim ab abusu nil illiciti præsefert (1): periculosum vero atque difficile semper legibus fuit ad actus per se licitos sanctionem extendere ut abusus arceantur dumtaxat (2). Igitur ad crimina aleam referre nimis severum foret, illius abusus ad politiam deferre, ut compescantur, prudentissimum (3). Hinc jure romano alea neque accusationem, neque pœnam habebat nisi vis ludendi causa facta fuisset (4).

§. 1069. *Improba fœneratio*, utpotequæ fallaciis plerumque adhibitis usuras ultra modum a lege præstitutum exigat, ad stellionatum referri solet (5): non recte tamen si Justiniani libris inhæreas, quibus inspectis, improbum fœnus illud exercentibus infamiam inurit quidem (6) sed nulla in eos conceditur accusatio, ac quæstio civiliter tantum exagitanda relinquitur ut quod quis ultra modum exegerit vel imputare

---

(1) Barbeirac *Traité du jeu vol.* 1. *liv.* 1. *ch.* 1. Boehm. *ad Carpzov. q.* 134. *obs.* 1.

(2) Disc. Cremani *lib.* 2. *cap.* 7. *art.* 5. §. 13. *not.* 5.

(3) Conf. leges in Hetruria latas, quas refert Cl. Poggi *lib.* 4. *c.* 9. §. 75. *not.* 23. 24. 25. quæque pœnam pecuniariam tantum in aleam vetitam sanciunt.

(4) Matth. *lib.* 47. *tit.* 16. *c.* 6. *n.* 3. 4. quamvis vero suasiones et blanditiæ pro vi accipiendæ non sint, attamen qui non domi, privati solatii causa, sed qui domos aleatoribus præbent, aut quoscumque publice atque indiscriminatim ad ludendum suscipiant, aleæ abusus rei *politice* sunt. Conf. Filangieri *Scienza della legislazione lib.* 3. *p.* 2. *cap.* 55. *ad fin.*

(5) Matth. *lib.* 47. *tit.* 16. *c.* 6. *n.* 1.

(6) *Cod. leg.* 20. *tit.* 12. *lib.* 2.

sorti, vel debitori restituere cogatur (1). Quæ quoad actus in se *politice* licitos, ut contractus fœneris est (2), supra diximus (§. 1067.) hic quoad usuras illicitas repetenda sunt. Contra hujusmodi usuras nec pœnas sanciendas, nec accusationes concedendas politici docent, quorum argumenta hic exponere instituti nostri ratio non patitur (3). Jure patrio afflictiva pœna coercentur contractus ineuntes, qui italice *scrocchi*, *barocchi*, *retrangoli*, *lecchifermi* aliove nomine nuncupantur (4). Provida sane dispositio si corrupti hominum mores id non expoposcissent ut testium dicta contra scripti contractus tenorem minime recipiantur (5).

ART. II.

DE DELICTIS, QUÆ BONA SEMOVENTIA LÆDUNT

§. 1070. Juris subtilitas inter *ablationem*,

---

(1) *Dig. l.* 26. *tit.* 6. *lib.* 12. *Cod. l.* 26. §. *si quis autem l.* 28. *tit.* 47. *lib.* 6. Matth. *loc. cit. n.* 1.

(2) Lampredi *Jur. pub. univ. Theorem. vol.* 1. *cap.* 11. §. 18.

(3) Conf. Hume *Essays and treatises vol.* 2. *Essay* 4. Montesquieu *Esprit des loix liv.* 22. *chap.* 19. Say *Traité d' economie politique vol.* 2. *p.* 104. *chap.* 8. Filangieri *loc. supr. cit.* Idem docuerunt IC. inter quos eminet Bartolus *in l. improbum Cod. ex quib. caus. infam. irrog.*

(4) Cod. Leop. *art.* 80. 81. 82. 83. 84. classicam vocum explicationem exhibet Andreas Cavalcanti apud Biscioni *Animadv. ad Malmantile cant.* 3. *st.* 74. Conf. Sabelli *pratica* verb. *contratti.*

(5) *L.* 15. *Nov.* 1814.

abductionem, et *abactionem* distinguit, quæ omnia ad furtum referuntur. Ablatio ad res inanimitas, quæ mobiles sunt, pertinet: abductio ad hominem: abactio ad pecudes (1). De ablatione huc usque jam dictum est. Superest ut de abductione et abactione dicamus, scilicet I. de *plagio* II. et *abigeatu*.

§. I.

De plagio.

§. 1071. Plagium, quæ vox improbius furtum significat (2), est *liberi hominis vel servi fraudolenta suppressio lucrifaciendi causa facta* (3). Hinc legis Fabiæ, quæ de plagiariis inscribebatur (4), duo fuerunt capita: primo tenebantur qui civem romanum, eumdemque, qui in Italia libertus fuerit, vinxissent vendidissent: altero qui alieno servo fugam a domino persua-

---

(1) Conf. Vicat. *Vocab. Jur.* verb. *auferre*, *abducere*, *abigere*.

(2) Matth. *lib.* 48. *tit.* 12. *c.* 1. *n.* 2.

(3) Textualis hujus criminis definitio *animum lucrifaciendi* non continet. Matth. *lib.* 48 *tit.* 12. *c.* 1. *n.* 2. Praxis tamen illum definitioni recte adjecit ut criminis indoles clarius pateret. Carpzov *quæst.* 83. *n.* 85. Cremani *lib.* 2. *c.* 7. *art.* 3. §. 1. Paoletti *lib.* 4. *tit.* 7. attamen conf. quæ ut plagium a furto distinguat notat Renazzi *lib.* 4. *p.* 4. *c.* 8. §. 2. Patrem autem abducti filii furti actionem in abductorem habere palam est Ulp. *l.* 14. §. *si filius familias tit.* 2. *lib.* 47. Paul. *l.* 38. *Dig. eod. tit.*

(4) *Dig. tit.* 15. *lib.* 48. *Cod. tit.* 20. *lib.* 9.

sissent, servumque alienum invito domino celavissent vendidissent (1). Plagium si non fraudolenter sed per vim admissum fuisset gravius ex lege Julia de vi vindicabatur (2).

§. 1072. Est autem, moribus hodiernis, plagium I. vel *civile*: II. vel *politicum*: III. vel *literarium*, quod et *improprium* dicitur.

§. 1073. I. Civile plagium est, quod jam definitum fuit. Verum cum in eo dolus requiratur necesse est ut homo, si ætate major, invitus, si minor invitis parentibus abducatur (3). Quia vero patrifamilias quasi dominium in filios competit, eosque reivindicandi is jus habet (4) non actio injuriarum sed furti ei in abductorem competit (5).

§. 1074. II. Plagium politicum non invito eo, qui abducitur, non invitis parentibus, sed invito Principe admittitur, eo consilio ut abductus alienæ militiæ adscribatur, quod crimen *politicum* constituit, severisque sanctionibus vindicatur (6).

§. 1075. III. Plagium improprium seu literarium crimen scriptorum est, qui aliena scrinia

---

(1) Ulp. *in collat. leg. Mosaic. et Roman. tit.* 14. §. 3. Gothofred. *Coment. ad cod. Theodos. lib.* 9. *tit.* 18.

(2) *L.* 1. *tit.* 20. *lib.* 9. *Cod.*

(3) Paoletti *lib.* 4. *tit.* 7.

(4) *Dig. l.* 1. §. *unde tit.* 1. *lib.* 6.

(5) Ursaya *Inst. crim. lib.* 3. *tit.* 8. *n.* 214. Carpzov *quæst.* 83. *n.* 86. Voet in *Pandect. lib.* 48. *tit.* 15. actionem injuriarum memorat Paoletti *loc. cit.*

(6) *L.* 19. *Jul.* 1742. Paoletti *loc. supr. cit.* Boehmer *ad Carpzov. quæst.* 83. *obs.* 6.

expilant, eaque in sua opera sive clam, sive palam transferunt (1). Hujusmodi plagium in alienarum idearum, quæ jam scriptis vel prælo commissæ fuerunt, usurpatione consistit. Si aliena inedita scripta quis subripiat, edatque ut sua nemo ambiget tunc de furto non de plagio agendum esse. Ad verum plagium literarium quod attinet, quoniam furtum idearum vel imitationis, vel fortuitæ similitudinis prætextu defendi commode possit, civilibus pœnis nequaquam subjicitur, atque scriptoribus ipsis (irritabile sane genus) vindicandum relinquitur (2).

§. 1076. Pœna plagii olim ex lege Fabia pecuniaria fuit, qua exolescente, hujus criminis rei extra ordinem pro delicti modo coerceri cœperunt: plerumque in metallum damnari (3), deinde capitali supplicio affici (4). Apud nos in verum plagium operis publici pœna animadvertitur (5).

§. II.

De Abigeatu.

§. 1077. Abigeatus est *alienarum pecudum*

---

(1) Renazzi *lib.* 4. *p.* 4. *c.* 8. §. 4.

(2) Conc. Caravita *Inst. crimin. lib.* 4. §. 1. *cap.* 70. *n.* 37. *et seqq.* Disc. Franc. Duaren. *Epist. ad Franc. Balduin.* Alberic. Gentil. *dialog.* 6. Thomasius *De plagio literar.*

(3) *Dig. lib.* 48. *tit.* 15. *leg. ult.*

(4) *Cod. lib.* 9. *tit.* 20. *leg. ult.*

(5) Paoletti *lib.* 4. *tit.* 7.

abactio fraudolenta lucrifaciendi causa facta (1). Hoc crimen æstimatur I. ab abactorum animalium qualitate et quantitate: II. ab abactionis loco: III. ab abactoris dolo.

§. 1078. I. Abigeatus in quadrupedes cadit, quæ pecudum numero sunt, et gregatim pascuntur (2). Quadrupedes autem aut *majores* sunt velut equi, boves, cameli, muli, asini: aut *mediæ* veluti sues: aut *minores* veluti oves, capræ (3). Ut quis abigeus non fur dici possit, necesse est ut unum ex majoribus abegerit, si mulos excipias, quorum duo, et asinos, quorum tres requiruntur (4), quinque vel quatuor ex mediis, decem ex minoribus (5).

§. 1079. Præterea abactum pecus domitum oportet sit, scilicet in sua specie perfectum adeout si non equus sed equulus, non bos sed vitulus abactus sit non extraordinario abigeatus judicio (6) sed privata actione furti agendum erit (7). Sexus vero abacti pecoris crimen non mutat (8). Qui aves veluti anseres, pavones,

---

(1) Cremani *lib.* 2. *c.* 7. *art.* 4. §. 1.
(2) Cremani *loc. cit.* §. 3.
(3) Varro *De re rust. lib.* 2. *c.* 1.
(4) Mulorum atque asinorum caussam magno eruditionis apparatu discutit Matth. *lib.* 47. *tit.* 8. *c.* 1. *n.* 4.
(5) *Dig. lib.* 47. *tit.* 14. *l.* 1. 3. Poggi *lib.* 4. *c.* 5. §. 44. conf. *l.* 9. *Sept.* 1681.
(6) Paoletti *lib.* 4. *tit.* 1. §. 6.
(7) Abigeatum crimen privatum vocat. Cl. Poggi *loc. cit.* §. 47. scilicet extraordinarium. Quæ autem inter privata, et extraordinaria crimina differentia fuerit alibi innuimus §. 146. *not.* 4.
(8) Ad equas quod attinet disc. Paul. *lib.* 5. *Sent. tit.* 18. §. 1. cujus sententiam a Triboniano rejectam

gallinas, columbas aufert, quamvis gregatim pascantur, non abigeatus sed furti tenetur (1).

§. 1080. II. Exigitur etiam ut de grege, armento, aut stabulo dumque gregatim pascebat domitum pecus abactum sit, adeout si quis boves oberrantes, vel equos in solitudine relictos abegerit fur non abigens dicitur (2). Parum autem refert utrum uno actu sive pluribus constitutus numerus abactus sit (3). Gravius porro puniuntur qui in ea regione abigunt ubi frequentius maleficii est (4), pleniusque is coercetur, qui e stabulo, quam qui ex silva vel grege abegerit quoties ferro, vel vectibus fores effregerit (5).

§. 1081. III. Quoniam fraudolenta abactio oportet sit, qui pecora, de quorum proprietate contendit, nisi color crimini quæsitus sit, veluti sua abduxerit abigens non habetur, resque

---

fuisse observat Matth. *loc. cit. n.* 2. conf. Cl. Poggi *loc. cit.* §. 45.

(1) Thomas *Dissert. de abig.* §. 32. *et seqq.* qui columbas ex turribus nostris abstulerit furti reus efficitur. Cod. Leop. *art.* 92. Columbas in aperto occidere aut capere ipsi columbarum domino vetitum est. Qui contra faciunt pecuniaria pœna plectuntur. Lictores vero ad opus publicum damnantur. Conf. Paoletti *lib.* 4. *tit.* 6. Poggi *lib.* 4. *c.* 12. §. 98.

(2) *Dig. lib.* 47. *tit.* 14. *l.* 1. §. 1.

(3) *Dig. h. t. l. ult.* §. *qui sæpius.*

(4) *Dig. h. t. l.* 1. *in princ. et tit.* 18. *lib.* 48. *l.* 16. §. *pen.*

(5) Ita Callistrati responsum in *l. ult.* §. 1. *Dig. h. t.* explicat Matth. *loc. cit. cap.* 2. *n.* 2. conf. Voet *ad Pandect. lib.* 47. *tit.* 15. *n.* 3.

ad civilem examinationem remittitur (1). Attamen, vi victus fuerit, in duplum, vel quadruplum condemnatur (2).

§. 1082. Jure romano si criminaliter extra ordinem cum inscriptione in crimen in abigeos accusatio instituta fuisset hujus criminis rei plerumque in opus publicum perpetuum aut temporarium damnabantur (3), aut relegabantur, aut ordine movebantur si honestiores (4) nisi cum ferro abegissent quippe qui bestiis objiciebantur (5). Jure patrio inspecto abigeatus inter qualificata furta adnumeratur, atque eadem pœna coercetur (6).

ART. III.

DE DECLITIS, QUÆ BONA IMMOBILIA LÆDUNT.

§. 1083. In immobilia furtum non cadere, eaque non auferri sed invadi juris regula est (7).

---

(1) *Dig. h. t. l.* 1. §. *ult.* Paul. *lib.* 5. *Sent. tit.* 18. §. *ult.*

(2) Conf. Nani *ad Matth. loc. cit. not.* 1.

(3) *Dig. h. t. l.* 1. *in fin.*

(4) *Dict. l.* 1. §. *pen.*

(5) *Dig. h. t. dict. l.* 1. §. *pen. l.* 2. Voet *ad Pandectas loc. cit. n.* 2.

(6) Cod. Leop. *art.* 75. dubitari tamen posset utrum viginti quinque scutorum in abacto pecore pretium abigeatum constituat si abactorum animalium neque qualitas neque numerus ab jure romano requisitus concurrat.

(7) *Inst. lib.* 4. *tit.* 2. §. 1. *in fin.* Sabinus autem inter veteres IC. existimavit fundi quoque locique furtum fieri. Cremani *lib.* 2. *c.* 7. *art.* 1. §. 6. *not.* 1.

Invaduntur autem I. *termini moti* crimine: II. *turbata possessione*: III. *damno injuria dato.*

§. I.

De termino moto, et turbata possessione.

§. 1084. Termini moti crimen contrahit qui terminos finium regundorum causa positos dolo malo dejicit, avellit, propellit, exarat, obscurat aut quovis modo avertit, ac suo loco movet, agrorumque faciem eo consilio convertit (1).

§. 1085. Turbatæ possessionis reus efficitur qui alienum prædium, vel ædificium, quod ab altero pacifice possessum sciebat, invadit, atque in eo jura dominii exercet (2): item qui irrequisito domino venatum in alienum fundum ingreditur (3). Si crimen, vi in personas adhibita, admittatur censuræ legis Juliæ de vi privata subjicitur (4).

§. 1086 Termini moti et turbatæ possessionis crimina id invicem commune habent, ut ad ea vindicanda civiliter agi possit, præjudiciumque ita judicio criminali fiat ut uno selecto ad alterum convolare læsus amplius nequeat (5). Im-

---

(1) *Dig. lib.* 47. *tit.* 21. *l.* 2. 3. Matth. *lib.* 47. *tit.* 14. *c.* 1. *n.* 3. Caravita *Inst. crim. lib.* 4. §. 1. *cap.* 28. *n.* 1. Carpzov *quæst.* 83. *n.* 67.

(2) Paoletti *lib.* 6. *tit.* 5. Poggi *lib.* 4. *c.* 12. §. 122.

(3) *Dig. lib.* 8. *tit.* 4. *l.* 16. *l.* 21. *Jun.* 1814. Poggi *lib.* 4. *c.* 1. §. 12. *not.* 35.

(4) Matth. *lib.* 47. *tit.* 2. *cap.* 1. *n.* 4.

(5) Paoletti *loc. cit.*

mo cum hisce criminibus proprii juris opinio ut plurimum causam præbeat, atque idcirco doli mali probatio perdifficilis sit, satius est *interdictis* civiliter uti (1) dummodo vel pendente judicio, vel sententia jam lata non turbetur possessio, vel aliter actio ad temeritatem non vergat (2).

§. 1087. Termini moti crimen in civilis societatis infantia, cum scilicet rerum dominia nec temporum diuturnitate, nec hominum opinione satis adhuc firmata sunt, gravissimum reputatur. Hinc Numa Pompilius summum supplicium hujus criminis reis indixit (3). Sub C. Cæsare actio popularis de termino moto prodita est, qua reus quinquaginta aureos in publicum dare cogebatur (4). Sub Imperatoribus, eversa republica, imperioque in dies intestinis discordiis exagitato, crimen extra ordinem coerceri cœpit, ac Hadriani jussu splendidiores ad tempus relegabantur, ceteri ad opus publicum damnabantur (5). Apud nos turbatæ possessionis rei facultatum dispendio multantur (6).

§. II.

De damno injuria dato.

§. 1088. Damni vox et genus, et speciem si-

---

(1) Conf. *Cod. di proc. art.* 561. *et seqq.*
(2) *Cod. lib.* 3. *tit.* 39. *l.* 4. Matth. *loc. cit. c.* 2. *n.* 2. Poggi *loc. supr. cit.*
(3) Matth. *lib.* 47. *tit.* 14. *c.* 1. *n.* 2.
(4) *Dig. lib.* 47. *tit.* 21. *l.* 3.
(5) *Loc. cit. l.* 2.
(6) Paoletti *lib.* 6. *tit.* 5.

gnificat: late sumpta omnem patrimonii nostri deminutionem, atque ademptionem complectitur (1); angustius eam deminutionem tantum, quæ in rebus nostris vel animatis, vel inanimatis fit (2), animatis cum animal occiditur ex iis præcipue, quæ pecudum numero comprehenduntur (3), inanimatis cum quis alienum quid ussit, fregit, rupit, effudit, aut quoquo modo corrupit (4).

§. 1089. Hoc quamvis angusto sensu damni vox latius attamen patet, atque incendium, homicidium, vulnera, furtum comprehendit (5). Ut illud rectius, strictiusque definiatur ad legum nostrarum trutinam et *effectus* et *affectus* habenda est ratio. Siquidem si aliquid animo lucrandi, asportandique corruptum fuerit furtum non damnum datum est (§. 989.). Si, quæ natura mobilia sunt nec immobilibus fixa, corrumpantur animo injuriandi damnum injuria datum equidem erit ex lege Aquilia (6) non utique ex moribus. Nobis igitur damnum injuria datum est *privatum delictum, quo quis vel dolo, vel culpa aliena immobilia citra incendium, et*

---

(1) *Dig. lib.* 39. *tit.* 2. *l.* 3.
(2) Matth. *lib.* 47. *tit.* 3. *c.* 1. *n.* 2.
(3) Matth. *loc. cit.*
(4) Matth. *ibid.*
(5) Caravita *lib.* 4. §. 1. *cap.* 33. *n.* 1.
(6) Cremani *lib.* 2. *c.* 7. *art.* 6. Rerum criminalium scriptores huc *actionem de pauperie*, *actionem noxalem*, *actionem in factum* quoad damna nobis ab alienis animalibus illata referre solent, quæ omnia ad damnum injuria datum non pertinent, legibus nostris inspectis. Cod. Leop. *art* 87. *l.* 23. *Aug.* 1793.

ruinam, vel quæ immobilibus inhærent facto quocumque absque animo asportandi diminuit aut corrumpit (1).

§. 1090. I. Ratione *effectus* damnum injuria dedisse dicitur, qui alieni agri fruges, pascua, agrique ipsius superficiem quovis modo corruperit, aut deteriorem fecerit: foveas oppleverit, aut deleverit: aquæductum diruerit: in segetem lolium aut avenam conjecerit (2): aut aliquid ejusmodi admiserit. Gravius autem peccatur cum arbores frugiferæ vel vites furtim cæduntur, cinguntur, aut deglabantur, ob quod peculiaris *arborum furtim cæsarum* prodita est actio (3).

§. 1091. Ad criminis effectum pertinet inspectio utrum interdiu vel noctu damnum datum sit. Noctu enim damnum præcaveri difficilius potest, atque idcirco gravius coercetur. Noctem dicimus non quæ astrnomice, aut quæ jure civili talis est, sed eam, cui initium et finem dat tintinnabulum illud, quo non statis horis sed arbitrariis pro longitudine noctium æstivarum aut hybernarum signum dari solet (4).

§. 1092. II. Ratione *affectus* faciendi causa inspicitur, adeout si quis cæsas arbores, fruges, aut quid aliud ex alieno fundo asportaverit lucrifaciendi causa, furti non damni dati tenetur (5).

---

(1) Similem quamvis non adeo amplam definitionem exhibet Henric. Bocer. *Disp. Univ. Cl.* 4. *disp.* 2.

(2) *Dig. lib.* 9. *tit.* 2. *l.* 27. §. *inquit lex.*

(3) Matth. *lib.* 47. *tit.* 2. *c.* 1. *n.* 5.

(4) Ita Matth. *lib.* 47. *tit.* 3. *c.* 3. *n.* 12.

(5) *Dig. lib.* 47. *tit.* 2. *l.* 25. et *tit.* 7. *l.* 7. Poggi *lib.* 4. *cap.* 12. §. 97. Conc. Cod. Leop. *art.* 90. nec non *l.* 23. *Aug.* 1793.

Seorsim a faciendi causa tam dolo quam culpa, et quidem levissima in hoc crimen inciditur (1). Imo non solum per nosmetipsos sed et per eos, qui in potestate nostra sunt, delinquitur, ut puta si filius vel servus noster, vel animal, quod in patrimonio nostro est damnum dederit (2).

§. 1093. Qui ob *malitiam* tantum non ob *periculum* crimina æstimant damnum datum furto improbius, ideoque acerbius vindicandum dictitant (3). Damnum etsi dolo datum sit, si furtum et incendium excipias illud ob causæ frequentiam hoc ob executionis facilitatem, crimen rarissimum est, atque idcirco recte vel facultatum dispendio, vel extra ordinem coercetur (4). Attamen jure romano qui arbores, et maxime vites dolo malo incidissent tamquam latrones puniebantur (5).

§. 1094. Si culpa non dolo peccatum fuerit

---

(1) Matth. *lib.* 47. *tit.* 3. *c.* 1. *n.* 3.

(2) *L.* 23. *Aug.* 1793. ad animalia quod attinet, si dominus haud innotescat, auctoritate judicis venduntur ut læsus pretio indemnis fiat. Cremani *lib.* 2. *c.* 7. *art.* 6. §. 8.

(3) Filangieri *Scienza della legislazione part.* 4. *lib.* 3. *c.* 54. cui adsentitur Nani *ad Matth. loc. cit. not.* 1.

(4) Carpzov *quæst.* 83. *n.* 7. leges, quas ad severiorem coercitionem proponendam affert Matthæus vel ad incendia, vel ad vim publicam referuntur *lib.* 47. *tit.* 3. *c.* 1. *n.* 1. Apud nos si damnificus ei, cui damnum datur, damnumque impedire volenti resistere audeat pro facti qualitate onere publico punitur. Cod. Leop. *art.* 91.

(5) *Dig. lib.* 47. *tit.* 7. *l.* 2. Hoc tantum casu quia res mali exempli est crimen severius vindicandum censet Boehmer. *ad Carpzov. loc. cit. obs.* 1.

vel civiliter ex lege Aquilia, vel mixta, quam vocant, actione in duplum aut quadruplum prouti damnum vel interdiu, vel noctu illatum fuerit, agendum est (1). Damnum autem non ad legis Aquiliæ normam, sed ad juris gentium simplicitatem æstimatur (2). Hinc tria legis Aquiliæ capita in desuetudinem prorsus abiere (3).

CAP. II.

DE DELICTIS CONTRA FAMILIARUM ORDINEM.

§. 1095. Frustra societatem et *in se* et *in suis civibus* leges defendere sibi proponerent, si societas ipsa haud existeret. Societas civilis ex pluribus familiis necessario constat (§. 662.): ordo igitur, qui familiam societatem constituit, a lege protegitur. Ordo autem familiarum hic nec parentum in liberos potestatem, nec liberorum erga parentes obsequia, nec patrisfamilias super tutela reve sua judicium significat. Familiarum ordo nobis hic est primum, præcipuumque earum coagulum, matrimonium nempe (4) I. vel

---

(1) *L.* 23. *Aug.* 1794. Quomodo hæc actio instituenda sit præscribit lex de privatis Judiciis nuperrime lata *art.* 534. *et seq.*

(2) Cremani *lib.* 2. *c.* 7. *art.* 6. §. 8.

(3) Thomas *Dissert. de larva legi Aquil. detr.* quæ tria legis Aquiliæ capita fuerint erudite disserit Cl. Noodt *Lib. sing. ad l. Aquil.*

(4) Cicer. *De offic. lib.* 1. *cap.* 17. Montesquieu *Espr. des Loix liv.* 23. *chap.* 2. 3. 4. Filangieri *Scienza della legislazione lib.* 3. *p.* 2. *cap.* 30. parricidium, partusque abactionem criminibus contra familiarum ordinem adnumerat: quam recte alii judicent.

ineundum, II. vel initum jam. Matrimonium ineundum perturbant I. *Stuprum*: II. *Raptus*: III. *Incestus*: initum jam subvertunt: IV. *Adulterium*: V. *Bigamia*, quæ omnia singillatim investiganda sunt.

TIT. I.

DE STUPRO.

§. 1096. Quævis turpitudo stuprum antiquitus fuit (1). Stuprum in specie est *vel virginis, vel viduæ honeste viventis corruptio* (2), *libidinis explendæ causa facta* (3). Inspiciendum igitur I. quid stuprum in sua *materialitate* sit: II. quid *politice*, et tamquam crimen consideratum.

§. 1097. I. Corruptionis verbum et ad *animum*, et ad *corpus* refertur (4). Usu fori receptum est ut corruptio corporis in virgine, animi corruptio in vidua *delicti corpus* constituat. Hinc stupri *proprii* atque *improprii* exorta divisio (5), qua stante distinctione, stuprum

---

(1) Matth. *lib.* 48. *tit.* 3. *c.* 5. *n.* 1.

(2) Matth. *loc. cit. n.* 2. Pueri corruptio in difinitione comprehenditur ad normam *tit.* 5. *lib.* 48. *Dig.* qui inscribitur *ad l. Juliam de adulteriis et stupro.* Sed de pueri stupro, quod sodomia, et sodomiticum scelus appellatur, alibi dicendum.

(3) Hanc ultimam definitionis partem a juris nostri scriptoribus omissam reperio. Ceterum facile intelliget quisquam, virginis vel viduæ corruptionem propriæ libidinis explendæ causam in corrumpente *per necesse* non præseferre.

(4) Matth. *loc. cit. n.* 2.

(5) Poggi *lib.* 5. *cap.* 2. §. 14.

in virgine delictum *facti permanentis*, in vidua *facti transeuntis* dicendum videtur (1).

§. 1098. Si corruptionis verbum ad corpus non ad animum referatur, virginitas *quid physicum* oportet sit, aliter frustra de illius corruptione, seu ut inquiunt de *defloratione* (2) quæreretur. Cum autem physica virginitas ex accuratiorum medicorum sententia haud existat (3), consequitur, stuprum tam in virgine quam in vidua animi non corporis corruptionem esse, ideoque oculis fidelibus subjici nequaquam posse. Nec in virgine illud physice exhibet uterus prægnans. Namque hic uteri status non deflorationem sed vel virginem, vel viduam cum homine coivisse demonstrat. Inspectio igitur muliebrium locorum, ad delicti corpus in virgine probandum, nisi de non viripotente agatur (4), pudori, moribusque adversatur, legis objecto prorsus inutilis est, ideoque ab usu fori penitus rejicienda (5).

---

(1) Hanc distinctionis consequentiam pragmatici non fatentur: immo prægnationem in vidua requirunt, qua deficiente delicti corpus deficere statuunt. Paoletti *lib.* 6. *tit.* 2. Quoad stuprum viduæ, quod a *l.* 13. §. 2. *tit.* 5. *lib.* 48. *Dig.* exclusum videtur conf. Carpzov. *quæst.* 68. *n.* 23. 24.

(2) Paoletti *loc. cit.* Poggi *loc. cit.*

(3) Zacchiæ *Quæst. Medic. leg. lib.* 4. *tit.* 2. *quæst.* 1. Mahon *La Medicina legale vol.* 1. *pag.* 113. *et seqq.* Sabatier *Trattato d'anotomia vol.* 5. *pag.* 92. Barzellotti *Medicina legale vol.* 1. *cap.* 4.

(4) Recens admodum, violentumque stuprum in virgine etiam viripotente cognosci posse putat. Cl. Barzellotti *loc. cit.* §. 44.

(5) Conf. Renazzi *lib.* 4. *p.* 2. *cap.* 1. §. 11. *n.* 3.

§. 1099. Quoniam de *morali* tantum non de *physica* virginitate quærendum est (1), recte stuprum a *fornicatione*, et *concubinatu* distinguitur, illa, quæ cum meretrice committitur, hic, qui cum concubina, quæ loco uxoris quamvis illegitime habetur (2).

§. 1100. Morum igitur, vitæque honestatem, non certum corporis statum, in muliere sive puella, sive vidua requirimus, ut de stupro agi possit (3). Idcirco quidam vitæ habitus sunt, qui cum mulieris inhonestatem præseferant, eam a stupri querela perpetuo repellunt, prouti accidit in ea quæ vel meretricio more vivit (4), vel meretricio habitu incedit (5). Hinc jure romano stuprum non cadebat in ancillam (6), in damnatam publico judicio (7), in exercentem ludricas artes, inque scenæ locantem operam (8), in cauponariam (9), demum in viles personas (10).

---

(1) Buffon *Histoire naturelle de l' homme* §. *de la puberté*.

(2) Cremani *lib.* 2. *c.* 6. *art.* 2. §. 1.

(3) Matth. *loc. supr. cit. n.* 2. Honestas facilius in puella quam in vidua præsumitur. Cremani *loc. cit.* §. 8. quod ad præjudicatam physicæ virginitatis opinionem attinet.

(4) Matth. *lib.* 48. *tit.* 3. *c.* 5. *n.* 3.

(5) De Angelis *De delictis part.* 1. *c.* 125. *n.* 1.

(6) *Dig. lib.* 48. *tit.* 5. *l.* 6. *pr. l.* 9. §. 1. *lib.* 4. *tit.* 4. *l.* 25. *Cod. lib.* 9. *tit.* 9. *l.* 25.

(7) *Dig. lib.* 23. *tit.* 2. *l.* 43. §. 1.

(8) Hoffman *Lib. singul. ad l. Jul. de adult. c.* 4. §. 5.

(9) Paul. *lib.* 2. *Sent. tit.* 26. §. 11. Cujac. III. *obs.* 8. Costantinus Magnus in *l.* 1. *tit.* 7. *lib.* 9. *Cod. Theodos.* inter cauponæ dominam et ministram distinxit, atque in hanc tantum stuprum non cadere sanxit. Gothofred. *ad dict. Cod. loc. cit.*

(10) Matth. *loc. supr. cit.*

§. 1101. II. Stuprum in *simplex* seu voluntarium, et *qualificatum* dispescitur (1).

§. 1102. *Simplex* stuprum in volente, et consentiente committitur, dummodo stuprata consensus capax fuerit, qui in pubere præsumitur semper (2). Utrum autem stuprum voluntarium pœnæ subjiciendum sit magna oritur dubitatio (3). Pro negantibus ista poterunt corrogari argumenta I. peccatum potius quam crimen in stupro voluntario a legibus vindicari (4): II. omnem probationis aleam et quoad delicti corpus, et quoad delicti auctorem a stupratæ assertione pendere: III. honestatis famam facile probari posse, contra vero facta, quæ inhonestatum præseferunt: IV. jus accusandi non temere fœminæ concedendum, quæ dum alienæ libidini se consensisse conqueritur, suum pudorem abjecisse fatetur (5).

---

(1) Cremani *loc. cit.* §. 5.

(2) Cremani *loc. cit.* §. 8.

(3) Stuprum quamvis voluntarium jure romano coercebatur: ast non in stupratore tantum verum etiam in stuprata, quod si non *politicum* saltem *justum* fuit. Matth. *loc. cit. n.* 6. Ante vero legem Juliam nullius extat memoria, quæ de stupris ageret. Hoffman *loc. cit. c.* 1. §. 2. Heinec. *Jur. crim. element. lib.* 2. *tit.* 24. §. 137.

(4) Frustra parentum injuriam objiciunt adversarii illud Catulli proferentes — *Virginitas non tota tua est: ex parte parentum est etc.* — Sibi imputent parentes si thesauri, cujus custodia sui maxime intererat, excubias agere prætermiserunt.

(5) Conf. Servan *Memoire sur une declaration de grossesse* per tot. Filangieri *Scienza della legislazione lib.* 3. *p.* 2. *c.* 50. *in fin.*

§. 1103. Stuprum *qualificatum* efficiunt I. vis: II. seductio: III. persona: IV. auctoritatis abusus, et famulatus.

§. 1104. I. *Vis* vel *vera*, vel *præsumptiva*, aut *inductiva*, ut inquiunt, est: illa nolentem et reluctantem subigit: hæc eam, cujus non est velle aut nolle (1). Vera vis sive physica, sive moralis sit, scilicet a metu descendens, *magna* esse debet (2): *præsens*, quæ in continenti fœminæ immineat (3): *constans*, quæ scilicet strenuam, sinceramque fœminæ reluctationem dum crimen perficitur vincat (4). Vi *præsumptiva* stuprum committitur in mentecapta, demente, infante, nondum viri potente (5), ebra, dormiente si fieri potest (6).

§. 1105. Cum de stupro vi admisso agitur, quia vis rite recteque probari potest, ac honestatis præsumptio mulieri adsistit, tunc proprie crimen adest, quod leges absque ulla dubitatione vindicare possint. Hinc aut honesta, aut inhonesta fœmina violenter subacta fuerit semper si non de stupro de vi saltem agi poterit (7).

---

(1) Cremani *loc. cit.* §. 5.

(2) Scilicet metus mortis, vulnerum, plagarum, non reverentiæ, carceris etc. Bohemer *ad Carpzov. quæst.* 75. *obs.* 2.

(3) Boehmer *loc. cit.*

(4) Boehmer *ibid.*

(5) Si puella septennium egressa fuerit, ac de ejus consensu constiterit stuprator mitius punitur. Cremani *loc. cit.* §. 8. quam sententiam minime probandam censeo. Conf. Cl. Poggi *lib.* 5. *c.* 2. §. 21.

(6) Renazzi *lib.* 4. *p.* 2. *c.* 1. §. 8. *n.* 3. Poggi *loc. cit.* §. 21. *not.* 46.

(7) Matth. *loc. cit. p.* 4. Poggi *loc. cit.* §. 21.

§. 1106. II. *Seductio* alia *simplex*, alia *qualificata* dicitur. Illa ex blandis verbis, muneribus, et similibus constat: hæc ex fraude vere singulari (1). Ast, cum fraus non ad seductionem sed ad falsitatem pertineat, alii rectius seductionem qualificatam eam dicunt, qua stuprator puellam valde simplicem ita illecebris ad peccandum trahit ut ipsa sibi non in rem turpem sed licitam consentire videatur (2).

§. 1107. Ad fraudem, quæ stuprum qualificat, matrimonii promissio potius pertinet, quæ aut *vera* posteaque non servata, aut *ficta* stuprum semper præcedat oportet (3). Quid autem de hac stupri specie dicendum? Sunt qui nec seductionem nec datam matrimonii fidem in stupro pœnis coercendam existimant nisi de fraude agatur, quæ in muliere, ut vis, libertatem penitus tollat (4). Ut nostram in hanc controversiam symbolam conferamus pauca animadvertere liceat. I. Data matrimonii fides tunc demum ad summum in stupro coercenda videtur cum de ea solemniter atque in scriptis constiterit (5). II. Cum stuprum per solam fœminæ prægnationem probetur (§. 1097.) pluresque concubitus sine lucina utplurimum accidant, ex sola fœminæ ad-

---

(1) Cremani *loc. cit.* §. 10.

(2) Poggi *loc. cit.* §. 21. *ad fin.*

(3) Cod. Leop. *art.* 98. Exempla qualificatæ seductionis, quæ refert Paoletti *lib.* 6. *tit.* 2. ad datam matrimonii fidem rectius pertinere contendit Poggi *animadv. MS. ad idem opus.*

(4) Filangieri *Scienza della legislazione loc. supr. cit.*

(5) Disc. Cod. Leop. *art.* 98.

sertione pendet probatio, qua pro certo habetur, promissionem primum concubitum præcessisse. III. Cum fœminam latere nequeat, matrimonii promissionem matrimonium non esse, suspicio subest, eam non in matrimonium, sed in stuprum reapse consensisse (1). Et si impudica non seducta fuit cur delicata *paternitatis* probatio ex illius assertione dumtaxat pendebit? Hæc contra hujusmodi stuprum disputationis gratia afferri argumenta possunt. Ceterum omnis disputandi ratio obmutescit ubi lex certas regulas diserte statuerit.

§. 1108. III. *Persona* stuprum qualificat cum in virgine Deo dicata committitur. Antiquo jure romano virginum vestalium stupratores tamquam incestus rei gravissimæ coercebantur (2). Novo jure ascetriam sollicitans capitale periculum substinet (3), atque jure Ecclesiastico sacrilegii reus efficitur (4); quæ omnia, absente vi, in desuetudinem abiere, resque politiæ magistratibus remittitur (5).

§. 1109. IV. *Auctoritatis abusus* stuprum qualificat in tutore, qui pupillam prostraverit (6):

---

(1) Doctores docent, semper præsumendum esse, virginem matrimonii intuitu virginitatem suam amasio dedisse. Hujusmodi regulam non concoquere videtur Boehmerus, qui animadvertit, satis lubrica esse argumenta si *vitam communem* spectes: *ad Carpzov quæst.* 68. *obs.* 11.

(2) Brisson. *ad l. Jul. de adult.* §. 3. *in fin.*

(3) *Novell.* 123. *cap.* 43. *Cod. lib.* 1. *tit.* 3. *l.* 5.

(4) *Can.* 27. *quæst.* 1. Renazzi *lib.* 4. *p.* 2. *c.* 1. §. 9.

(5) Poggi *loc. cit.* §. 20. *in fin.*

(6) Renazzi *lib.* 4. *p.* 2. *c.* 1. §. 7. *n.* 2.

in ludimagistro, qui puellam suæ custodiæ concreditam (1): in commentariense, qui carceri mancipatam (2). *Famulatus* quoque qualificat stuprum in personis mercede conductis, quæ filiam, sororem, neptem heri constuprant (3).

§. 1110. Stupri pæna jure romano publicatio dimidiæ partis bonorum fuit si honestus stuprator fuisset, sin humilis corporis coercitio, et relegatio (4). Improbiore concurrente dolo, aut violentia inductiva (§. 1103.) pœna aut in insulam relegatio, aut ad metallum damnatio fuit (5). Si adhibita vi stuprum factum fuisset crimen in legem Juliam de vi publica incidebat, ac deportatione plectebatur (6). Patrio jure omnia stupra præter violenta actione privata vindicantur (7). Simplex stuprum pecuniaria pœna coercetur, quæ augetur, et ad dotem stupratæ præstandam usque porrigitur si de qualificata seductione agatur. Relegatur, dotemque stupratæ dare cogitur vel nubere stuprator, qui data matrimonii fide, crimen admiserit. Cetera vero stupra qualificata opere publico puniuntur (8).

---

(1) *L.* 24. *Jan.* 1754. §. 6. Cod. Leop. *art.* 99. Poggi *loc. cit.* §. 20.

(2) Caball. *cas.* 283. *n.* 11. *Carpzov quæst.* 68. *n.* 23.

(3) *Cod. lib.* 9. *tit.* 11. *l. un.*

(4) *Inst. lib.* 4. *tit.* 18. §. *item lex Julia.*

(5) *Dig. lib.* 48. *tit.* 18. *l.* 38. §. *qui nondum.*

(6) Matth. *loc. cit. n.* 9.

(7) Cod. Leop. *art.* 3. juncta *l.* 30. *Aug.* 1795. *art.* 6.

(8) Cod. Leop. *art.* 98. 99. juncta *l.* 30. *Aug.* 1795. *art.* 6. Poggi *loc. cit.* §. 23. qui consulendus.

TIT. II.

DE RAPTU

§. 1111. Raptus ideo a rapina (§. 1008.) distinguitur quod hæc in res, ille in personas cadit (1). Est autem raptus *personæ honeste viventis violenta vel fraudolenta abductio de loco ad locum libidinis explendæ causa facta* (2), quæ causa raptum a plagio (§. 1070.) distinguit (3). Crimen igitur constituunt I. abductæ personæ honestas, et dissensus: II. abductio ipsa: III. libidinis intuitus.

§. 1112. I. Cum personam dicimus tam marem quam fœminam significamus (4): sive mas marem (5) sive fœmina fœminam (6) sive fœmina marem abduxerit (7): fœmina autem parum

---

(1) Matth. *lib.* 48. *tit.* 4. *c.* 2. *n.* 7.

(2) Kemmerich *Synops. jur. crim. lib.* 2. *tit.* 11. §. 30. Boehmer *ad Carpzov. quæst.* 40. *obs.* 3. qui raptum ad vim publicam non ad crimina carnis referendum censet.

(3) Renazzi *lib.* 4. *p.* 4. *c.* 7. §. 2.

(4) Renazzi *loc. cit.* §. 1 *n.* 3.

(5) Renazzi *ubi supra.*

(6) Raynald. *obs. v.* 2. *p.* 270. *n.* 103. qui *androgyni* raptum commemorat.

(7) Matth. *lib.* 48. *tit.* 4. *c.* 2. *n.* 2. contendens in pœnalibus verbis masculini generis fœminam comprehendi, quem quoad raptum solide refellit Nani *loc. cit. not.* 3. Angelus in *l. unica Cod. de raptu virginum* testatur, meretricem flammis consumptam Florentiæ vidisse, quæ adolescentulum eximiæ pulcritudinis rapuerat. Raynald. *loc. cit. n.* 99. Mitius tamen in fœminam marem rapientem agendum nonnulli putant. De Angelis *P.* 1. *c.* 99. *n.* 15.

refert innupta aut nupta, aut vidua fuerit nobilis an plebeja, dives an paupera (1).

§. 1113. In criminibus carnis, si ea excipias, quæ naturæ ordinem subvertunt, quæque per vim admittuntur, semper honestas requiritur. Attamen si meretrix sit, quæ per vim abducitur, vis quidem erit, non proprie raptus (2). Inhonesta autem dici nequit, quæ amore flagrans ab uno amasio subacta, alterum rejicit (3), nec ea, quæ prius luxuriata est, ac postea ad meliorem frugem revertit (4).

§. 1114. Nolens, reluctansque abductioni dicitur, quæ non per vim physicam tantum, sed et per moralem, eamque vel *coactivam*, quæ metu, vel *compulsivam*, quæ dolosis persuasionibus, abducta est (5). Neque plenus abductæ personæ consensus crimen mutat si ea sui juris non sit, ac parentum vel tutorum potestati subjaceat (5). Consensus vero ejus, quæ sui juris est, crimen prorsus excludit (7).

---

(1) *Cod. lib.* 9. *tit.* 13. *l. un.* Poggi *lib.* 5. *c.* 3. §. 24. Cremani *lib.* 2. *c.* 6. *art.* 7. §. 4.

(2) Cremani *lib.* 2 *c.* 6. *art.* 7. §. 4. *et auct. in not. cit.* Meretricis raptum ob rerum circumstantium gravitatem capite multatum fuisse testatur de Angelis *c.* 99. *n.* 13 14. Matth. *loc. cit. n.* 4. ibique Nani *in suis animadvers. not.* 4. *loc. cit.* §. 25.

(3) Cremani *loc. supr. cit.* vide tamen Boehmer. *ubi supra.*

(4) Boehmer *ad Carpzov. loc. cit.*

(5) *Cod. lib.* 9. *tit.* 13. *l. un.* Poggi *loc. cit.* §. 27. Boehmer *loc. cit.*

(6) Baldus in *l. unica Cod. de raptu virg.* apud Fournel *Traité de la seduction part.* 2. *chap.* 2. *p.* 330.

(7) Boehmer *ad Carpzov. loc. cit.*

§. 1115. II. Abducere hic est non ex causa commodioris coitus de uno in alium vicinum locum trahere, sed animo e conspectu parentum auferendi in disparatum locum per vim ducere (1). Hinc ut raptus dici possit oportet ut rapta persona ea mente abducatur ut alio in loco, quo consueverat, degere cogatur (2). Quapropter fœminæ abductio de una ad aliam ejusdem ædificii partem, de ædificio in hortum, qui illi cohæret, de uno ad alium proximum locum in campis raptus non est sed potius stuprum cum vi (3).

§. 1116. III. Si abductio libidinis explendæ causam haud habuerit, aut fugæ, aut vis, aut plagii non raptus erit quæstio. Libidinis vero intuitus in personis diversi sexus semper præsumitur usque dum raptor contrarium probaverit (4). Quid autem dicendum si rapta quidem non tamen vitiata fuerit mulier? Pœnam minuendam autumant interpretes si ascetria rapta non fuerit, raptorque a coitu abstinuerit vel pœnitentia ductus, vel matrimonium contrahere cogitans, quod nimia severitate alii negant (5).

---

(1) Fournel *Traité de la seduction pag.* 329. Poggi *loc. cit.* §. 26.

(2) Raynald. *obs. v.* 2. *p.* 269. *n.* 69. ubi contrariam refellit sententiam Rebuffi in *l. marcellus D. de verb. signif.* Fournel *loc. cit.* Boehmer *ad Carpzov. loc. supr. cit.*

(3) Fournel *op. cit. pag.* 330. Raptum a stupro violento nequaquam differre magno argumentorum apparatu contendit Matth. *lib.* 48. *tit.* 4. *c.* 2. *n.* 7. conf. Renazzi *lib.* 4. *p.* 4. *c.* 7. §. 2. *n.* 2. Poggi *loc. cit.* §. 26. *et auctor. in not. laud.*

(4) Fournel *Traité de la seduction pag.* 337.

(5) Matth. *loc. cit. n.* 7. ibique Nani *not.* 5. Boehmer *ad Carpzov. loc. cit.* Cod. Leop. *art.* 100.

Prodesse autem neqnaquam raptori potest si, cum libidinis causa rapuerit, matrimonii ineundi causa se rapuisse asserat (1). Neque sponso sponsam rapere fas est ubi sponsalia vi carent civiliter obligandi (2). Si vero quamvis *ex post facto* in matrimonium cum raptore libere consenserit rapta, et justis nuptiis necessaria concurrant, quin tamen vis armata, aliæque improbæ circumstantiæ crimen comitaverint, legibus moribusque receptum est ut raptus pœna remittatur (3).

§. 1117. Crimen raptus inter gentes adhuc barbaras olim frequentissimum (4), apud populos civilitate instructos rarissimum est, ac pene insuetum. Severissime cum raptoribus egit Constantinus Magnus (5). Gladii pœnam, et bonorum omnium jacturam Justinianus indixit tum raptoribus tum sceleribus adjutoribus, et consciis utriusque sexus, si maxime rapta ingenua fuerit, si vero ancilla aut libertina bona non publicabantur (6). Patrio jure raptus per vim admissus atque perfectus opere publico ad tem-

---

(1) Nani *loc. cit.* Boehmer *loc. cit.* conf. Poggi *loc. cit.* §. 27.

(2) Disc. Constantini constitutio *in l.* 1. *Cod. Theod. lib.* 9. *tit.* 24. conc. Justinian. *in Cod. lib.* 9. *tit.* 13. *l. unic.* Matth. *loc. cit. n.* 13. Cremani *loc. cit.* §. 4. Poggi *loc. cit.* §. 28.

(3) Cremani *loc. supr. cit.* §. 7. 11. Disc. *Cod. dict. l. un.* nec non Boehmer *ad Carpzov. loc. cit.* conf. Concil. Trident. *sess.* 24. *c.* 6.

(4) Matth. *loc. cit. n.* 5.

(5) Cod. Theod. *lib.* 9. *tit.* 24. *l.* 1.

(6) *Inst. lib.* 4. *tit.* 18. §. 8. Cremani *loc. cit.* §. 10. *et auct. in not. cit.*

pus coercetur, relegatione si vis abfuerit, mitius si fœmina plene consenserit (1).

TIT. III.

DE INCESTU.

§. 1118. Incestus ab *incestando* sive polluendo dictus (2) est *inter consanguineos et affines in eo gradu, quo matrimonium consistere nequit, concubitus scienter admissus* (3). Hinc crimen constituunt I. sanguinis conjunctio: II. scientia: III. concubitus.

§. 1119. I. Sanguinis conjunctio ad matrimonium inter conjunctos prohibendum aut *natura*, aut *lege* statuitur: natura inter eos, qui in *linea recta* sunt aut ascendentes, aut descendentes (4): lege inter eos, qui sunt in linea transversa, vel qui affines sunt (5). Hinc divisio

---

(1) *L.* 30. *Aug.* 1795. *art.* 20. §. 1. *art.* 22. §. 1. Poggi *loc. cit.* §. 30.

(2) Matth. *lib.* 48. *tit.* 3. *c.* 6. *n.* 1.

(3) Kemmerich *Synop. jur. crim. lib.* 2. *tit.* 11. *n.* 11.

(4) Conf. Gibbon *History of the decline and fall of the rom. Emp. chapt.* 44. *Inceste etc.* Guadagni *Exercit. in jus civ. lib.* 1. *tit.* 10. §. 2. *not.* 4.

(5) Utrum inter fratres et sorores conjunctio juri gentium repugnet nec ne mira est inter juris naturalis et civilis scriptores dissensio. Conf. Montesquieu *Esprit des loix liv.* 26. *ch.* 14. Cremani *l.* 2. *c.* 6. *art.* 5. §. 4. *et auct. in not. cit.* Matth. *loc. cit. n.* 3. qui incestum ex jure gentium ad affines nempe vitricum privignam privignum et novercam, generum et socrum, socerum et nurum extendit. Dubiam admodum in jure romano incestus juris gentium et civilis notionem fuisse notat Boehmer. *ad Carp. quæst.* 72. *obs.* 1.

incestus in eum, qui *juris gentium*, illumque, qui *juris civilis* dicitur (1). Graduum computatio juris Pontificii regulis fit: gradus vero, intra quos nuptiæ consistere nequeunt, ad juris civilis normam statuuntur (2).

§. 1120. Jure civili incestus committitur inter personas lateralis ejusdem lineæ ad tertium usque gradum civilem sive affines sint, sive ejusdem sanguinis (3). Cum conjunctos dicimus eos, qui tales natura sunt non qui legis fictione ut adoptivi, intelligimus (4). Affines autem sunt qui necessitate conjunguntur, quæ ex justis nuptiis oritur (5) adeoque affinitatem spiritualem excludimus (6), eamque, quæ ex illicito coitu contrahitur (7), nec non necessitudinem illam, quæ inter sponsi et sponsæ cognatos, inter nutricem et altum cum adultus fuerit concipitur (8).

§. 1121. II. Cognatio inter invicem coeuntes et quia in re versantur illicita, et quia ex actis publicis constat, nec non de personis agitur, quarum frequens est familiaritas, reis innotuisse præsertim inter proximos generatim præsumi-

---

(1) Cremani *loc. cit.*
(2) Paoletti *lib.* 2. *tit.* 3.
(3) Poggi *lib.* 5. *c.* 3. §. 33. Paoletti *lib.* 2. *tit.* 3. Matth. *loc. cit. n.* 4.
(4) Frustra igitur nuptias inter adoptivos memorat Paoletti *loc. cit. v.* 1. *p.* 87.
(5) Poggi *loc. cit.* §. 74.
(6) Boehmer *Elem. jurispr. crim. sect.* 2. *c.* 29. §. 309. varias spiritualis cognationis et affinitatis species enumerat Fournel *Traité de la seduction p.* 309.
(7) Paoletti *lib.* 2. *tit.* 3.
(8) Poggi *loc. cit.*

tur, illisque ignorantiæ probandæ onus incumbit (1). Imo vincibilis error aut ignorantia crimen haud excusat (2). Putant nonnulli, mulieris honestatem in incestu nullius ponderis esse adeout si mater aut filia meretrix sit ac cum ascendente vel descendente scienter nefandeque concumbat crimen non immutetur (3).

§. 1122. Cum in incestu concubitus dicitur, non simplex corporis, sed sanguinis, nempe utriusque seminis, commixtio intelligitur ut crimen perfectum consummatumque dici possit (4), adeout plenam criminis probationem nonnisi ex utriusque rei confessione elici posse doctores tradunt (5). Agitur ergo de crimine, a quo sanguinis reverentia, naturaque ipsa vel maxime abhorret, quod si quando accidat leges a tenebris, quibus obruitur, quasque suæ turpidinis conscium perpetuo quærit, quodammodo avellunt eo periculo, ut publico exemplo magis criminis obsit notitia, quam pœnæ irrogatio incertissima prodesse valeat (6).

§. 1123. De pœna incestus jure romano sancita nondum conveniunt interpretes, et non levibus difficultatibus romanas leges implicari contendunt (7). In eo tantum consentire videntur

---

(1) Poggi *loc. cit.* §. 35.
(2) Poggi *ibi.* Conf. Cremani *loc. cit.* §. 3.
(3) Casus horribilis dictu est. Carpzov *quæst.* 72. *n.* 43.
(4) Cremani *loc. cit.* §. 2. *et auct. in not. laud.*
(5) Carpzov *quæst.* 72. *n.* 51.
(6) Conf. Servin *De la legislation criminelle liv.* 1. *chap.* 4. *art.* 2. §. 3.
(7) Matth. *loc. cit. n.* 5. Boehmer *ad Carpzov. quæst.* 74. *obs.* 4.

nostri juris periti, ut incestus cum adulterio conjunctus capite coerceatur; sin vero cum stupro, distinguendum existimant an crimen natura sua turpe an tale jure civili diceretur, atque adeo primum morte, secundum pro admissi qualitate pœna publici operis ad tempus vel in perpetuum, relegatione, vel carcere vindicaretur (1). Apud nos incestus inter ascendentes et descendentes relegatione per quinquennium in masculis, atque ergastulo in fœminis per triennium, inter collaterales ad tertium usque gradum eadem pœna per triennium in masculis, et decem et octo menses in fœminis. Quæcumque autem alia incestus species mitiori relegatione coercetur (2).

TIT. IV.

DE ADULTERIO.

§. 1124. Adulterium ex eo dictum, quod persona alteri conjugata ad alteram se confert (3) vel sensu *morali*, vel sensu *politico* definitur prouti vel fidei conjugalis infractionem, vel patris, sobolisque incertam conditionem in eo leges vindicant (4). Hinc morales disciplinæ adulterium definiunt *dolosam fidei conjugalis violationem per concubitum cum extranea per-*

(1) Matth. *ad lib.* 48. *Dig. tit.* 3. *cap.* 6. *n.* 5. Fournel *Traitè de la seduction part.* 2. *cap.* 3. *art.* 1.
(2) *L.* 30. *Aug.* 1795. *art.* 20. §. 2.
(3) Papin. *in l.* 6. *tit.* 5. *lib.* 48. *Dig.* Matth. *lib.* 48. *tit.* 3. *cap.* 1. *n.* 3.
(4) Montesquieu *Esprit des loix liv.* 26. *chap.* 8.

sona (1), politicæ vero, ad quas jus nostrum pertinet (§. 48.) *concubitum cum alterius uxore* (2). Ex quo consequitur, adulterium non ex masculi, sed ex fœminæ conjugio æstimari (3). Præstat igitur inquirere I. cum quibus hoc crimen committi possit: II. quænam actio illud constituat: III. quæ sit hujus criminis accusatio.

§. 1125. I. Quoniam patris incerta conditio in adulterio a legibus vindicatur, abunde patet, hoc crimen cum ea duntaxat committi posse, que matrimonium cum viro inierit sive justa, sive injusta fuerit uxor (4): sive ab ea divortium factum fuerit (5): sive quavis de causa maritus abfuerit (6): sive honestæ, sive humilioris con-

---

(1) *Can. nemo quæst. 4. can. non mœchaberis quæst. 3. cant. 32.* Carpzovius moralem adulterii definitionem amplectitur *quæst. 52. n. 48.* atque a Boehmero severe reprehenditur *obs. 3.*

(2) Matth. *loc. cit.*

(3) Jure romano maritus, qui rem cum innupta habuerit, non adulterii tenetur, atque in eum uxor actione injuriarum agit, eaque de causa divortium petit. *Cod. lib. 9. tit. 9. l. 1.* Conf. Poggi *lib. 5. c. 1. §. 8.* Matth. *loc. cit. n. 12.* Adulterium in muliere vindicandum non esse scripsit Brissot de Varville *Theorie des loix crimin. vol. 1. p. 258. in not.* cujus deliramenta refellere aggressi sunt Pastoret *Les loix penal. vol. 2. pag. 31.* et Vasselin *Theorie des peines capitales pag. 74.*

(4) Matth. *loc. cit. n. 7.* Ulpiani vero sententia in *l. 13. §. 1. D. h. t.* ad romanorum mores dumtaxat pertinet. Apud nos matrimonium validum requiritur. Poggi *loc. cit. §. 11.*

(5) Utpote quod matrimonium haud dissolvit. Renazzi *lib. 4. p. 2. c. 3. §. 13.* conf. Boehmer *Elem. Jur. crim sect. 2. c. 25. §. 281.*

(6) Matth. *loc. cit. n. 11.*

ditionis sit (1). Ad eam quod attinet, quæ pudicitiam prostituit, distinguendum utrum, deserto marito, vitam meretriciam ducat, quo casu adulterii cessat actio, vel cum marito adhuc degens libidines exercuerit, quo casu adulterium objici potest, mitius tamen vindicatur (2). Postremo concubitus cum ea, quæ tantum desponsata alteri fuit, adulterium non est (3).

§. 1126. II. Actio, quæ adulterium constituit, si damnum inspicias, ob quod politice imputatur, in copulæ perfectione consistit (4), adeoque ut crimen plene probatum sit, utriusque rei confessio requiritur (5): quæ sententia si in ceteris delictis carnis rejicienda non est, familiarum ordini exitialem, politicæ, moribusque periculosam in adulterio esse constanter existimo, iisque assentior, qui putant, solam corporum conjunctionem in adulterio tum voluntario, tum violento delictum perfectum, consummatumque constituere (6).

---

(1) Matth. *ubi supra n.* 5.

(2) Ita antinomiam inter Ulpiani responsum in *l.* 13. §. 2. *D. h. t.* atque Imp. Diocletiani et Maximiani rescriptum in *l.* 22. *Cod. h. t.* conciliant interpretes. Paoletti *lib.* 6. *tit.* 1.

(3) Neque matrimonii spem violandam esse tradit Ulpianus in *l.* 13. §. *Divi et* §. *si minor D. h. t.* contra vero Constantinus in *l.* 30. *Cod. h. t.* de marito ac geniali thoro dumtaxat loquitur. Boehmer *ad Carpzov. quæst.* 56. *obs.* 1. Poggi *loc. cit.* §. 11.

(4) Ad text. *in l.* 1. §. *fin. tit.* 11. *lib.* 47. *Dig.* Paoletti *lib.* 6. *tit.* 1.

(5) Carpzov *quæst.* 60. *n.* 32. quod recte Boehmerus appellat *cerebrinum corpus delicti in seminis emissione obs.* 1.

(6) Conf. Boehmer. *ad Carpzov. quæst.* 61. *dict. obs.* 1. Matth. *loc. cit. n.* 10. nimiam porro severita-

§. 1127. Verum, ut actio quoad intentionem agentis imputabilis sit, dolus in ea concurrat oportet, scientia nempe, prostratam mulierem alteri nuptam fuisse (1). Hinc excusatur qui nuptam compresserit, quam innuptam probabili errore putabat (2): qui absentem conjugem non amplius rediturum crediderit (3).

§. 1128. III. Cum adulterium sola lædat jura mariti, qui familiæ suæ moderator et arbiter est, cumque inter virum et uxorem omnis vitæ consortium unius dedecus ad alterum porrigat, recte statutum est, hujus criminis accusationem absente vi, soli marito competere (4). Hinc nec Fiscus ex officio inquirere, nec publicus accusator crimen deferre potest nisi agatur de *adulterio notorio*. Notorium vero aut *facti* aut *juris est*: facti vel si coram populo admissum fuerit, vel si lictores, non data opera, atque judicis mandato quid aliud perquirentes aliquem in adulte-

---

tem redolet sententia Bartoli in cit. *l.* 1. §. *fin. D. de extraord. crim.* qui docet, eum, qui oscula jam sumsit, ordinaria pœna afficiendum. Conf. Matth. *n.* 7.

(1) Julian. *in l. pen. D. h. t.* Matth. *loc. cit. n.* 5.

(2) Matth. *loc. cit. n.* 5.

(3) Intra quod temporis spatium absentia restringenda sit docet Boehmer. ad Carpzov. *quæst.* 58. *obs.* 1. Sunt qui inter causas mitigandi pœnam adnumerant impotentiam mariti, vel illius pervicaciam in iis negandis, quæ conjux conjugi debet. Conf. Cremani *lib.* 2. *cap.* 6. *art.* 3. 10. *in not.*

(4) Constantini constitutio in *l.* 30. *tit.* 9. *lib.* 9. *Cod.* marito patri fratri patruo et avunculo accusationem permittit, atque extraneos prorsus excludit. Conf. Matth. *loc. cit. cap.* 4. *n.* 11. soli vero marito accusationem impertivit Cod. Leop. *art.* 3.

rio deprehenderint, demum si adulterium cum aliquo publico crimine conjunctum sit ut puta cum vi, lenocinio, incestu: juris cum quis obiter adulterium in judicio, quod diversum crimen respiciebat, fassus fuerit (1).

§. 1129. Antiquo jure romano nulla legitima pœna huic crimini constituta fuisse legitur, sed marito ac propinquis punienda relinquebatur adultera (2). Deinde, lege Julia sub Augusto lata, dimidia dote, et, tertia bonorum parte publicata, relegatione fœmina plectebatur: adulteri vero dimidia bona publicabantur, data simul ex antiquo jure patri facultate occidendi in continenti adulterum in sua vel generi domo deprehensum dummodo æquali accensus ira filiam occideret, marito vero vilioris conditionis adulterum in domo propria, et in adulterio deprehensum, salva uxore, occidere licuit dummodo uxorem illico dimitteret (3). Constantinus primus in adulteros gladii pœnam sanxit (4), sed legis rigori adulteram subduxit Justinianus, eamque verberatam in monasterium detrudi voluit, ita

---

(1) Paoletti *lib.* 6. *tit.* 1. attamen adulterium notorium vel facti vel juris accusationem publicam non habet, et ad politiæ magistratus dumtaxat defertur. Paoletti *ib.* Poggi *lib.* 5. *c.* 1. §. 12. Multa scitu digna quoad adulterii crimen occurrunt apud Fournel *Traité de l' adultere considerè dans l' ordre judiciaire. Paris* 1778. qui consulendus.

(2) Matth. *lib.* 48. *tit.* 3. *cap.* 1. *n.* 1. ibique Nani in suis animadvers. Taylor *Lectiones lysiacæ* c. 11.

(3) Sculting *Julius Paulus lib.* 2. *tit.* 26. §. 14. Matth. *loc. cit. cap.* 2. *n.* 1.

(4) *Dict. l.* 30. *Cod. h. t.*

tamen ut maritus eam intra biennium sine fraude reducere posset, secus tonsa mulier monasterio perpetuo manciparetur, dote simul, et donatione propter nuptias amissa (1). Jure patrio voluntarium adulterium opere publico in masculis, ergastulo in fœminis per decennium coercetur: publicum opus ad masculos quod attinet, si de adulterio violento consumato agatur, ad quinos denos annos extenditur (2).

TIT. V.

DE BIGAMIA

§. 1130. Bigamia est crimen, quo *quis sciens, priore conjuge superstite, alium sibi conjugem solemniter adsciscit, cumque eo se, corpusque suum commiscet* (3). Matrimonii legibus in civitate juxta religionis præcepta, ac politices regulas (4) constituti, nefas illas subvertere. Attamen solemnes ritus, quibus bigamia perficitur, illam adulterio, quod clam committitur, minus familiarum ordini noxiam efficiunt (5).

---

(1) Nov. 134. *cap.* 10. sine fraude, idest sine metu criminis nam ex lege Julia adulteram reducens ejus legis reus fiebat. Nani *ad Matth. loc. cit. n.* 3. *not.* 5.

(2) *L.* 30. *Aug.* 1795. *art.* 20. 22.

(3) Cremani *lib.* 2. *c.* 6. *art.* 4. §. 1.

(4) Montesquieu *Esprit des loix liv.* 16. *chap.* 2. Poggi *lib.* 3. *c.* 1. §. 4. 5. Poligamiam monogamiæ præferendam contra religionis, et politices dogmata contendit Lingnet *Theorie des loix civiles liv.* 3. *chap.* 9.

(5) Disc. Carrard *De la Jurispr. crim. sect.* 2. *cap.*

§. 1131. Ex criminis definitione patet, tria in eo debere concurrere I. ut quis certo sciat, vel facile scire potuerit, vivere adhuc priorem conjugem: ita ut, si justo ei probabili errore priorem conjugem obiisse putaverit, tamquam bigamus non habetur si ad secunda vota transierit (1): II. ut alium conjugem per matrimonium *solemniter* initum ducat, adeout sola sponsalia crimen haud constituant (2), ac si fictum simulatumque matrimonium fuerit aut de stupro, aut de adulterio erit quæstio (3): III. ut cum novo conjuge concumbat, scilicet matrimonium consummatum fuerit, quo deficiente, contemptus equidem Sacramenti erit non bigamia (4).

---

1. §. 5. *n*. 8. cui subscribit Cremani *loc. cit*. §. 1. qui crimen ad moralis disciplinæ præcepta exigunt, non ex politicis rationibus æstimant. Conc. *l*. 30. *Aug*. 1795. *art*. 20. §. 2.

(1) Cremani *loc. cit*. §. 3. non desunt qui easdem caussas minuendi pœnam, quæ in adulterio, huc quoque revocandas esse existiment, Boehm. *Elem. jurispr. crim. sect*. 2. c. 28. §. 300. Percelebre est judicium in Anglia de eo, qui bigamiæ pœnas effugit cum tres uxores habuisse probaverit, non ea certe ratione, quod lex, quæ de bigamo loquitur, trigamo applicari nequeat, sed quia cum is, legitima uxore superstite, secundam uxorem duxerit, tertiamque cum prior decesserat, secundum matrimonium nullum, tertiumque legitimum demonstravit. Conf. Grosley in op. quod inscribitur. *Londres vol*. 1.

(2) Conf. distinctionem de qua Matth. *lib*. 48. *tit*. 3. c. 7. *n*. 8. *in fin*. Cremani *loc. cit*. §. 5. Carpzov *quæst*. 67. *per tot* ibique Boehm.

(3) Boehmer *ad Carpzov. quæst*. 66. *obs*. 4.

(4) Cremani *loc. cit*. §. 4.

§. 1132. Jure Romano polygamia tamquam stuprum considerabatur si maritus duobus nupserat, tamquam adulterium, si mulier duos sibi copulaverat, ac modo capite modo extra ordinem coercebatur (1). Apud nos bigamiæ pœna eadem est, quæ incestus inter ascendentes et descendentes (§. 1122.) (2).

CAP. III.

DE DELICTIS CONTRA CONTINENTIAM PUBLICAM

§. 1133. Probrosas libidines nuptias, et genus inquinare, connubii jura frangere, legitimæ sobolis propagationi adversari, atque adeo in ipsius societatis damnum denique verti satis superque demonstratum est. Præstat igitur naturales affectiones, quibus cœco quodam impetu ad sobolis procreationem feruntur homines, certo ordine ac forma regere, ad honestatis normam componere, eaque omnia a civitate arcere, quæ hujusmodi affectiones I. vel inordinatas eo convehunt quo trahit sua quemque voluptas: II. vel in usum naturæ prorsus contrarium prætergressas ostendunt. Ad primum pertinet *Lenocinium*, ad alterum *Venus monstrosa*.

---

(1) Boehmer *Elem. Jurispr. crim.* §. 297. Matth. *lib.* 48. *tit.* 3. *cap.* 1. *n.* 13.
(2) *L.* 30. *Aug.* 1795. *art.* 20. §. 2.

TIT. I.

DE LENOCINIO.

§. 1134. Lenocinio generatim tenentur omnes, qui castas mulierum mentes voluptatum illecebris inquinant, easque aliorum libidini conciliant (1). Quia vero turpis quæstus causa turpius, frequentius, ideoque periculosius crimen efficit, usu fori receptum est ut lenocinium definiatur *alienæ pudicitiæ prostitutio lucri vel commodi captandi gratia facta* (2).

§. 1135. Duo igitur crimen constituunt I. alienæ pudicitiæ prostitutio II. animusque lucrifaciendi.

§. 1136. I. Quia crimina præcipue a damno, quod pariunt, æstimanda sunt, gravius peccant qui uxores alienas, aut virgines puellas quam qui fœminam jam corruptam prostituit (3). Recte tamen rerum criminalium scriptores, meo quidem judicio, actuum reiterationem requirunt ut leno quis dici possit (4). Etenim distinguen-

---

(1) Cremani *lib.* 2. c. 6. *art.* 8. §. 5. Poggi *lib.* 3. *cap.* 6. §. 42.

(2) Farinacc. *quæst.* 144. *n.* 68. Renazzi *lib.* 4. *p.* 2. c. 4. §. 1. Contendit tamen Boehmer. ad Carpzov. *quæst.* 71. *obs.* quæstus intentionem ad pœnam tantum non ad reatum ipsum referendam esse. Conf. Lenocinii definitionem, quam exhibet Ulpianus in *l.* 43. §. *lenocinium tit.* 2. *lib.* 3. *Dig.* Matth. *lib.* 48. *tit.* 3. *cap.* 1. *n.* 14.

(3) Paoletti *lib.* 2. *tit.* 2.

(4) Farinacc. *quæst.* 144. *n.* 36. De Angelis *De delictis p.* 1. *cap.* 92. *n.* 16.

dum est inter lenocinium, atque actus, quibus quis alicujus criminis contra familiarum ordinem complex efficitur. Quoniam complicitas vel uno tantum actu constat nil dubium in complicem pœnæ locum esse: at si de alienæ pudicitiæ prostratione agatur, in qua nec familiarum ordinis læsio, nec vis intercesserit nimis periculosum esset atque equivocum ex una duntaxat vice lenocinium arguere (1). Eadem porro adhibita distinctione de actibus judicandum, qui lenocinium constituant, quique *positivi* non *negativi* requiruntur. Hinc ad complicitatem vel adulterii, vel cujuscumque alii criminis contra familiarum ordinem præsertim vi admissi, non ad lenocinium actus dissimulationis, conniventiæ, et similes referendos putarem æque ac eos, quibus vel domus, vel ager ad crimen patrandum conceditur (2).

§. 1137. II. Ceterum parum refert utrum pacto expresso vel etiam tacito de lucro conventum fuerit: in pecunia numerata consistat, aut in alio quocumque emolumento, ante vel post prostratam pudicitiam acceptum fuerit (3). Quæstus vero causa in *simplici* non in *qualificato* lenocinio ad criminis essentiam pertinet (4). Sim-

---

(1) Disc. Renazzi *loc. cit.* §. 3. *n.* 2. Poggi *loc. cit.* §. 46. Carpzov *quæst.* 71. *n.* 20. Boehm. *Elem. jurispr. sect.* 2. *cap.* 30. §. 319. Ipsa lenocinii vox *habitum* non *actum* significare videtur.

(2) Et re quidem vera leges, quæ de domum et agrum concedente loquuntur vel de adulterio vel de stupro agunt. Conf. Matth. *loc. cit. n.* 15. conf. Paoletti *loc. cit.*

(3) Boehmer *Elem. jurisp. crim. loc. cit.* §. 318.

(4) Carpzov *loc. cit. n.* 36.

plex lenocinium dicitur personarum extranearum prostitutio, qualificatum uxoris, liberorum, eorumque omnium, qui in nostra potestate sunt (1).

§. 1138. Jure Justinianæo lenones capite plectuntur (2). Quod ad nos attinet fustibus cæsi, nulla pretii accepti vel conventi habita ratione (3) in exilium mittuntur, et si iterum delinquant publici operis pœna coercentur homines, fœminæ ergastulo traduntur. Eadem severitate agitur si pudicitiæ prostitutio fiat a patre, matre, marito, tutore, consanguineo, iisque omnibus, quibus puellarum custodia demandata est: pœna quoque augetur si stuprum cum virgine, multoque magis si cum impubere, aut violenter admissum fuerit (4).

TIT. II.

DE VENERE MONSTROSA.

§. 1139. Salebrosam, quæque pudicas aures offendat, de monstrosa venere tractationem aggredimur: eam idcirco paucissimis expediemus rati præcipue, magis hac in re vitiorum igno-

---

(1) Boehmer *Elem. jurispr. crim.* §. 316. Renazzi *loc. cit.* §. 3. *n.* 1.

(2) *Nov.* 14. *et* 134. Conf. Poggi *lib.* 5. *cap.* 6. §. 49. *et auct. in not. cit.* Lenocinii pœnas ex ordine recenset Fournel *Traité de la seduction part.* 3. *chap.* 3.

(3) Id ad qualificatum lenocinium referendum arbitror. Paolettus notat, legem juris regulis ab ipso expositis apprime convenire *loc. cit.*

(4) Cod. Leop. *art.* 101.

rantiam, quam pœnarum cognitionem publico exemplo profuturam (1).

§. 1140. Monstrosa venus dicitur quæcumque vel virum, vel fœminam mentitur (2), quæque igitur naturales stimulos, quibus in mutuam conjunctionem adeoque in sobolis procreationem mas et fœmina feruntur, contra ipsius dirigit naturæ consilium, et in humani generis interitum convertit (3).

§. 1141. Monstrosæ veneris rei sunt *pædicones* scilicet puerarii, qui cum masculis præposteram exercent libidinem (4), *pathici*, qui eis muliebrem patientiam præstant (5), *tribades* fœminæ scilicet, quæ clytoride abutentes non solum fœminas ineunt sed mares ipsos aversa venere appetunt (6); qui nefandam libidinem

---

(1) Gibbon *History of the decline and full of the Rom. Emp. chapt.* 44.

(2) Matth. *lib.* 48. *tit.* 3. *c.* 7. *n.* 8.

(3) Martial. *Epigr. lib.* 9. 15. Putidam hanc, fœdamque materiam non minus verecunde quam eleganter suo more fuse pertractavit Renazzi *lib.* 4. *p.* 2. *cap.* 2. 6. 7. Cinico more atque in sua naturali fœditate cuncta evolvunt pragmatici, inter quos unum citasse sufficiat nempe de Angelis *De delict. p.* 1. *c.* 91. *n.* 2. qui sodomiticum scelus definit „ commixtionem viri si„ ve cum viro sive cum fœmina in ea corporis parte, „ qua quod intrat in os vadens in ventrem emittitur „ per secessum. „ Hanc definiendi licentiam merito crepat Renazzi *loc. cit. cap.* 2. §. 1. *n.* 3. Modestiæ in definiendo exemplum exhibent Imp. Constant. et Co st. in *l.* 6. *tit.* 9. *lib.* 9. *Cod.*

(4) *Auct. Princip. carm.* 68.

(5) Juven. *Satyr.* 6. M rtial. *lib.* 2. *ep.* 96.

(6) Phædr. *lib.* 4. *fab.* 14.

cum brutis exercent (1), qui cum cadaveribus humanis concumbunt, eisque libidinose abutuntur (2), *mastupratores*, qui solitarium ducunt hymenæum (3), *fellatores*, qui ore spurcissime coeunt (4), *irrumatores*, qui eis virilia præbent (5), *onanitici*, qui cum fœminis aut venereum opus assumptum illico abrumpunt, aut membrana, virilia obvolvunt ne fœmina gravidetur (6).

§. 1142. Si ex intrinseca turpitudine potius quam ex politicis rationibus hujusmodi scelerum imputationem expendamus, nulla adeo gravis pœna potest excogitari, qua condigne plectantur (7). Verum recte animadversum est, talia facinora ex malitia minus quam a sui ipsius oblivione, atque contemptu proficisci (8), adeout politiæ vigilantiam in ea suscitare sufficiat, spesque subsit, religionem, ipsamque naturam sua jura secius ocius reivindicaturam (9). Ita sane si vis

---

(1) Caravita *lib.* 4. §. 1. *cap.* 47. Concubitum cum *bellua infernali* graviter memorant doctores. De Angelis *p.* 1. *c.* 25. *n.* 1. 3.

(2) Boehmer ad *Carpzov. quæst.* 76. *obs.* 2.

(3) Martial. *lib.* 14. *ep.* 203.

(4) Martial. *lib.* 14. *ep.* 74.

(5) Catull. *carm.* 10.

(6) De Amoen. *De delict. et pœn. tit.* 4. §. 11. *n.* 13. sodomia, bestialitate, et concubitu cum cadaveribus excepto, omnes aliæ prolifici seminis effusiones *mollities* a doctoribus appellantur. De Angelis *p.* 1. *c.* 91. *n.* 7. Caravita *loc. cit. cap.* 48.

(7) Conf. Matth. *lib.* 48. *tit.* 3. *cap.* 6. *n.* 8.

(8) Montesquieu *Esprit des loix liv.* 12. *chap.* 4.

(9) Montesquieu *loc. cit. chap.* 6. conf. Servin *De la legisl. crimin. loc. cit.* §. 4. Poggi *lib.* 5. *cap.* 5. §. 41. *not.* 38.

a crimine abfuerit, qua intercedente, mores, personæque securitas exemplarem legum severitatem exposcunt.

§. 1143. Apud Romanos nefando crimini Scantinia lex pœnam pecuniariam indixit (1). Pœnam lex Julia ad ultimum usque supplicium auxit si vis in crimine intercessisset (2). Exquisitioribus suppliciis in hoc crimen Justinianus edixit (3). Jure patrio, severioribus abrogatis sanctionibus (4), nefanda crimina bestialitas nempe, et sodomia exilio a regione in masculis per triennium, ergastulo in fœminis in annum coercentur si vis illata non fuerit (5). Quoad ceteros impudicitiæ modos, eos etiam, qui ab ipsa natura improbantur, rei virgis privatim cæduntur (6). Si vis personæ inferatur crimen instar stupri violenti coercetur (7).

---

(1) Quintilian. *Inst. orat. IV.* 2.

(2) *Inst. lib.* 4. *tit.* 4. §. 4. Renazzi *lib.* 4. *p.* 2. *c.* 2. §. 6. *n.* 1.

(3) *Nov.* 7. *et* 142. Hujusce severitatis abusus enumerat Gibbon *History of the decline and sull of the rom. emp. chapt.* 44. Optime innuit Montesquieu *Esprit des lois loc. cit.* horrore ipso, quem crimen excitat, tyrannidem abuti posse. Et re quidem vera hujusmodi ceteroquin justissimus horror moderationis metas sæpe transgressus est. Hoc horrore perculsi doctores scripserunt, ea nocte qua SERVATOR noster natus est, omnes sodomitas ubique terrarum occubuisse, inter quos (risum teneatis) Virgilium. De Angelis *loc. cit. n.* 3.

(4) Cod. Leop. *art.* 96.

(5) *L.* 30. *Aug.* 1795. *art.* 21.

(6) Cod. Leop. *art.* 100. *l.* 1795. *art. cit.*

(7) Poggi *loc. cit.*

CAP. IV.

DE DELICTIS CONTRA PUBLICAM FIDEM

§. 1144. Poterat huic criminum classi commode parci. Etenim cum omnia huc usque facinora recensuerimus, quibus aliena securitas læditur, pro comperto est, publicæ fidei violationem non *crimen* reapse, sed *qualitatem* potius criminis constituere debere. Animadvertendum insuper est, publicam fidem violari aut *falso*, aut *furto*, nam ad *proditionem* quod attinet, ea ad alia pertinet facinora. Non possunt igitur in hanc classem alia referri crimina præter I. falsum publicum, de quo jam actum est (§. 1057.): II. falsæ monetæ crimen, quod falsi publici species est: III. furtum pecuniæ publicæ ab eo factum, cui credita fuerat: IV. mercatorum fraudes, qui dolo decoxerint. Hujusmodi vero crimina apud nos recte ad furtnm qualificatum referuntur (1).

TIT. I.

DE FALSÆ MONETÆ CRIMINE

§. 1145. Falsæ monetæ crimen peculiaris falsi (§. 1047.) species est (2), adeout, eo jam

---

(1) Cod. Leop. *art.* 75. 79. 94. Hujusce classis auctor est Filangierius *Scienza della legisl. lib.* 3. *p.* 2. *cap.* 48. qui rem non satis mature perpendisse videtur.

(2) Boehmer *Elem. jurispr. crim. sect.* 2. *c.* 31. §. 331.

definito, nil aliud superest quam ad illud falsi jam expositas notiones applicare. Hoc crimen *generaliter* definitur *fraudolosa monetæ falsificatio in alterius damnum suscepta* (1). Generaliter inquam, nam si non lucrifaciendi, sed reipublicæ labefactandæ animo quis falsam monetam cudat, is non *falsi* sed *perduellionis* reus evadit (2). Ex præmissis quoad delicti indolem in eo ut in falso hæc perstringenda sunt I. species: II. fraus: III. damnum.

§. 1146. I. Monetæ adulteratio aut ratione *materiæ*, aut ratione *formæ* committitur (3). Ratione *materiæ* in hoc crimen incidunt qui ex injusta et vitiosa materia puta stauno, plumbo monetam cudunt sive id in totum sive ex parte faciant, scilicet si in nummis aureis plus argenti vel æris, et in argenteis plus stanni et plumbi admiscendo (4): item qui nummos æreos inaurant, stanneos inargentant (5) vel tesseras num-

---

(1) Boehmer *loc. cit.*

(2) Renazzi *lib.* 4. *p.* 3. *cap.* 5. §. 2. Jure romano, quod sub imperatoribus orientalibus invaluit, falsa moneta ad læsam majestatem referebatur. Nani *ad Matth. lib.* 48. *tit.* 7 *c.* 5. *n.* 6. *not.* 5. rectius ad secundum caput legis Corneliæ de falsis pertinet (§. 1030.).

(3) Decian. *Tract. crim. lib.* 7. *c.* 32. *n.* 9. Carpzov *quæst.* 42. *n.* 20. Boehmer *loc. cit.* §. 332.

(4) Carpzov *loc. cit. n.* 21. Jure romano lege Cornelia tenebantur qui nummos stanneos plumbeos emisissent vendidissent dolo malo *l.* 9. §. *eadem lege tit.* 10. *lib.* 48. *Dig.* Id ea ratione sancitum fuit quia plumbei et stannei nummi apud romanos vetiti erant, soluinque auro, argento, ære conflabantur. Nani *ad Matth. n.* 5. *not.* 3.

(5) Ad Text. *in l.* 8. *tit.* 10. *lib.* 48. *Dig.* cujus interpretationem exhibet Matth. *loc. cit. n.* 2. ibique Nani *not.* 1.

marias falsant (1). Ratione *formæ* delinquunt qui nummos quidem probos cudunt sed privatim (2), qui legitimis nummis alienum signum imponunt (3), demum qui nummos laverint (4), raserint, exciderint, corruperint, vitiaverint (5).

§. 1147. II Falsi crimen non dolum tantum sed fraudem, nempe alienæ deceptionis periculum præseferre debet (§. 1054.). Quapropter moneta quamvis adulterata impendibilis oportet sit: ast si impensa jam fuerit, quoniam damnum actus ipse perhibet, nequit amplius de impendibilitate disputari (6).

§. 1148. III. Magna est inter juris nostri peritos controversia ut in hoc crimine conatus a consummatione probe secernatur: alii putant, nudum consilium cum actu aliquo proximo conjunctum ad pœnam ordinariam crimini irrogandam sufficere: alii id limitant in monetæ adulteratione imperfecta quidem, ast ob impedimentum extra agentis voluntatem intermissa: alii per-

---

(1) Renazzi *loc. cit.* §. 3. *n.* 2.

(2) Non excusabantur etiamsi rescriptum impetrassent: debebant enim in publicis officinis cudere *Cod. lib.* 6. *tit.* 24. *l.* 1. 2. 3.

(3) Carpzov *quæst.* 43. *n.* 3.

(4) Nempe aqua chrysulca Matth. *loc. cit.* ibique Nani *not.* 2. qui consulendus.

(5) Paul. *lib.* 5. *Sent.* §. 25.

(6) Paoletti *lib.* 4. *tit.* 4. Poggi *lib.* 4. *c.* 8. §. 67. ubi vir diligentissimus diserte notat, eum, qui nummos vilioris metalli ad aleæ lusum probatos tamquam aureos impenderit aut permutaverit, non falsi sed stellionatus reum esse.

fectam consummatamque monetæ adulterationem requirunt: alii falsam monetam expensam, adeoque alterius damnum inde subsequutum: alii alia (1). Cum apud nos falsæ monetæ crimen furto qualificato æquiparatum sit, non video cur criminis perfectio alibi quam in furti consummatione sit inquirenda (2).

§. 1149. Jure Romano in hoc crimen incidebant qui illud cum prohibere potuerint non prohibuissent (3). Ast præterquamquod actus mere negativi ad complicitatem facile traduci nequeunt (§. 254.) distinguendum quoad actus positivos ipsos inter remotos et proximos, ac statuendum, operam extra actum cusionis crimini præstitam pœnæ ordinariæ non subjiciendam (4). Ceterum qui falsam monetam scienter impendit hoc crimine plene tenetur (5): cumque de furto agatur aut viliores monetæ, aut peregrinæ adulteratæ sint, de quantitate damni non de nummorum qualitate disceptandum (6). Postremo apud nos nummorum tamquam mercis emptio et venditio licita (7).

---

(1) Paoletti *loc. cit.*

(2) Aliter sentire videtur Cl. Poggi *loc. cit.* §. 67.

(3) *Dig. lib.* 48. *tit.* 10. *l.* 9.

(4) Boehmer *ad Carpzov. quæst.* 42. *obs.* 5.

(5) Melchiori *Del falso e dello spergiuro cap.* 6. *n.* 6. Controversiæ omnes, quæ hac de re olim exagitabantur a majestatis titulo, qui crimini inerat, proficiscebantur. Carpzov *quæst.* 42. *n.* 99. *et seqq.* si titulus criminis in furto qualificato consistat nulla adest distinctionis ratio inter fabricantem, et scienter impendentem. Conf. Boehm. *ad Carpzov. loc. cit. obs.* 9.

(6) Boehm. *ad Carpzov. obs.* 4.

(7) Poggi *loc. cit.* §. 66. nummis tamen exceptis,

§. 1150. Apud Romanos jure Pandectarum in falsos monetarios deportatio, dein aquæ et ignis interdictio invaluit (1): postea si liberi essent ad bestias dari, servi vero summo supplicio affici cœperunt (2). Constantinus vero lege lata eos, qui falsa cusione nummos formaverint, ad ignem damnari jussit, universis illius facultatibus fisco addictis. Domum quoque vel fundum, in quo falsa pecunia fabricata fuerit etiam propter domini incuriam, ac negligentiam, publicari voluit nisi dominus a domo longissime abfuerit (3). Jure patrio qui falsam monetam cudunt vel veram radunt, tingunt, aut quocumque modo maculant, qualificati furti pœna tenentur, cui subjiciuntur, qui sociam operam criminis auctori præstiterint (4).

T I T. II.

DE PECULATU, ET RESIDUIS

§. 1151. Peculatus a pecore dictus, in quo veterum opes consistebant (5) est *furtum pecuniæ publicæ aut sacræ non ab eo factum*,

---

quorum species enumerat Paoletti *loc. supr. cit.* Qui cum meretricibus, atque aleatoribus falsam monetam impendit, mitius ex Doctorum sententia puniendus est. Bajar. *ad Clar.* §. *falsum n.* 347. Decian. *lib.* 7. *c.* 25. *n.* 7.

(1) *Dig. lib.* 48. *tit.* 10. *l.* 9.

(2) Renazzi *lib.* 4. *p.* 3. *c.* 7. §. 5.

(3) *Cod. lib.* 9. *tit.* 24. *l.* 1. 2.

(4) Cod. Leop. *art.* 94. 95.

(5) Matth. *lib.* 48. *tit.* 10. *c.* 1. *n.* 1.

cujus periculo fuit (1). De peculatu apud romanos lege Julia cavebatur, quæ de sacrilegiis et residuis, quod crimen peculatui affine est, inscribitur (2), quæque utrum a C. Julio Cæsare an ab Augusto lata fuerit incertum (3). Cum de sacrilegio jam egerimus præstat nunc, ut de peculatu disseramus, investigando I. quæ publica pecunia sit: II. quinam peculatum admittant: III. quæ sint hujus criminis species.

§. 1152. I. Pecunia publica proprie ea erat quæ populi romani erat (4). Definitio hæc statui democratico romanorum maxime conveniebat, ast postquam summa rerum ad unum delata fuit, verbis antiquis retentis, res mutata est (5). Papinianus antiquam verborum proprietatem sequutus, ex pecunia civitati aut municipio subtracta furti non peculatus actionem exoriri docuit (6). Contra vero Imperatores Trajanus et Hadrianus rem non verba antiqua induentes peculatus accusationem ad pecunias civitatis porrexere (7).

---

(1) Labeo in *l.* 9. §. 12. *tit.* 13. *lib.* 48. *Dig.*

(2) *Dig. dict. lib.* 48. *tit.* 13.

(3) Eam Cæsari tribuit Gravina *de legib. et SC. c.* 95. Gyphan. *ad Inst. tit. de pub. judic.* Cremani *lib.* 2. *c.* 4. *art.* 3. §. 1. *not.* 1.

(4) Ulp. *in l.* 15. *tit.* 16. *lib.* 50. *Dig.*

(5) Everard. Otto *Instit. lib.* 2. *cap.* 1. §. 1.

(6) *Dig. lib.* 47. *tit.* 2. *l.* 8. §. *ult.*

(7) *Dig. lib.* 48. *tit.* 13. *l.* 4. §. *ult.* Ut Papinianum cum Trajano et Hadriano concilient erudite certant interpretes Nani *ad Matth. loc. cit. n.* 5. *not.* 2. Poggi *lib.* 4. *c.* 4. §. 41. Sunt qui pecuniam publicam eam dicunt, quæ Principis est superiorem non agnoscentis. De Angelis *part.* 1. *c.* 96. *n.* 5. cujus principii absurditatem alibi notavimus (§. 665.).

Apud nos pecunia publica dicitur non ea tantum, quæ ad Principem, sed et quæ ad civitates, municipia, et ad omnia publica instituta pertinet (1).

§. 1153. II. Non quilibet pecuniam publicam aufert peculator est. Qualitas auferentis est inspicienda et quoad *personam* (2), et quoad *titulum*, quo pecunia publica retinetur. Quoad *personam* in hoc crimen incidunt Præfecti ærario, Quæstores, Arcarii, Susceptores, qui annonis et tributis recipiendis præponuntur, Judices denique, et generatim administratores publicarum pecuniarum (3), quibus ratione complicitatis addendi sunt eis ferentes opem (4): adeout si privatus arcario quantitatis debitori furatus fuerit, furti non peculatus postulandus est (5).

---

(1) *L.* 9. *Sept.* 1681. §. 8. Poggi *loc. supr. cit.*

(2) Juxta Juris romani principia hæc personarum distinctio minime probanda videtur, sufficitque publicam pecuniam interversam fuisse. Hinc hallucinatur Filangierius putans, *privatæ*, *publicæque* personæ differentiam jure romano vel crimini *de residuis* vel crimini *peculatus* caussam dedisse. *Scienza della legislaz. lib.* 3. *part.* 2. *cap.* 47. *tit.* 5. Hujusmodi tamen distinctionem minime rejiciendam censeo, si juris constituendi regulas inspiciamus, ipsamque patriam legem 9. *Sept.* 1681.

(3) Caravita *Inst. crim. lib.* 4. §. 1. *c.* 69. *n.* 16. 17. Matth. *loc. cit. n.* 6.

(4) Matth. *loc. cit. n.* 2.

(5) Paoletti *lib.* 4. *tit.* 1. §. 7. Attamen criminis titulus non a personæ sed a pecuniæ qualitate desumitur, ita ut si privatus pecuniam publicam auferat, cujus speciei non quantitatis arcarius debitor est, peculatus erit quæstio. Poggi *loc. cit.* §. 41. Quomodo

Quoad *titulum*, quo pecunia retinetur, jure romano peculatus rei non fiebant qui, quamvis pecuniam publicam intervertissent, eam suo periculo susceperant, quique idcirco *quantitatis* non *speciei* debitores erant: quapropter tamquam privati reipublicæ debitores non rei criminis habebantur, ac de residuis ex nonnullorum sententia postulabantur (1). Ad nos quod attinet, administratores publicarum pecuniarum, qui eas interverterint, rei peculatus fiunt sive suo periculo sive non eam habuerint (2).

§. 1154. III. Jure romano peculatum admittebant qui in aurum, argentum, æs publicum quid indiderint miscuerint, quo id deterius fieret (3): qui cum in moneta publica operarentur, nummos non Principi sed sibi cusissent, aut cusos surripuissent (4): qui ex metallis Cæsarianis aurum, et argentum suffurati fuissent (5): qui in tabulis publicis minus pecuniæ, quam quod venerit aut locatum fuerit, scripsissent (6):

---

autem pro comperto habebimus, privatum furem pecuniæ titulum apud arcarium cognovisse? Nova porro ratio, qua peculatum ad solas publicas personas publicam pecuniam custodientes restringamus.

(1) Matth. *loc. cit. n.* 6. qui Ædituos tantum pecuniæ publicæ periculum habuisse contendit. Contra Nani definitionis generalitatem ad quoscumque juxta tituli indolem porrigendam censet *not.* 3.

(2) *L.* 1681. §. 8. Paoletti *loc. cit.*

(3) *L.* 1. *D. h. t.* species hæc ad legem Corneliam de falsis pertinet. *Dig. lib.* 48. *tit.* 10. *l.* 9. Voet *ad Pandect. lib.* 48. *tit.* 13. *n.* 3.

(4) *L.* 6. §. 1. *D. h. t.*

(5) *Dict. l.* 6. quoad privatorum metalla conf. Matth. *loc. cit. n.* 2.

(6) *L.* 10. §. 1. *D. h. t.*

qui tabulam æneam legem, formam agrorum, aut quid simile continentem refixissent vel mutassent (1), vel quid in tabulis publicis delevissent aut induxissent (2); qui ex publicis rationibus pecuniam mutuam vel dedissent, vel accepissent (3): qui prædam ab hostibus captam surripuissent (4).

§. 1155. Reus residuorum dicitur, qui pecuniam publicam in usum aliquem acceptam retinuerit nec erogaverit (5): qui publicam pecuniam delegatam in usum aliquem pariter retinuerit neque in eum consumserit (6): qui in administratione publica positus pecuniam, quæ apud eum puta ex locatione venditione, alimentaria ratione, vel alia causa resedit, et quæ *residua* dicitur, vel professus non est, vel professus ultra annum: qui enim ante anni lapsum professus fuisset tamquam privatus fisci debitor considerabatur (7).

§. 1156. Pœna peculatus ex lege Julia aquæ et ignis interdictio fuit, in cujus locum deportatio successit (8). Dein qui in administratione po-

---

(1) *L.* 8. §. 1. *D. h. t.*

(2) *Dict. l.* 8. id et ad legem Corneliam *de falsis* pertinebat *Dig. lib.* 48. *tit.* 10. *l.* 2.

(3) *Cod. lib.* 10. *tit.* 6. *l.* 1. 2.

(4) *L. pen. D. h. t.* Matth. *loc. cit. n.* 4.

(5) *L.* 3. §. *sed et qui D. h. t.* Num *traditio* ab *exactione* pecuniæ quoad delicti titulum differebat?

(6) *L.* 2. *D. h. t.* In hac specie pecuniæ publicæ *delegatio* criminis diversitatem constituit. Mathæus docet, criminis indolem in publicæ pecuniæ *retentione* consistere *loc. cit. cap.* 5. *n.* 1.

(7) *L.* 4. §. *lege Julia l.* 9. *D. h. t.*

(8) *L.* 3. *D. h. t.*

siti peculatum admittebant vel qui opem eis adhibebant capite plectiti sunt (1). Actio quoque in quadruplum ablatæ pecuniæ concedebatur, quæ obtinebat etiam adversus heredes intra annum a morte defuncti (2). Residuorum pœna pecuniaria fuit, et de residuis damnatus amplius tertia parte, quam debebat, fisco inferre jubebatur (3). Apud nos peculatus tamquam furtum qualificatum punitur (4).

T I T. III.

DE MERCATORUM FRAUDIBUS

§. 1157. Inutiliter hujusce criminis titulo immoraremur cum ea, quæ de falso ac stellionatu diximus, ad illius indolem dignoscendam sufficere possint (5). Ceterum non ea nobis mens est ut antiquas, easque asperrimas in dolo decoctores pœnas recenseamus (6).

---

(1) Cod. *lib.* 9. *tit.* 28. *L. un.* hanc pœnam tamquam nimis duram Leo substulit. *Nov. Leon.* 105.

(2) *L. pen. D. h. t.*

(3) *L.* 4. §. *qua lege D. h. t.* Matth. *loc. cit. n.* 2. *ibique* Nani *not.* 1.

(4) Cod. Leop. *art.* 75.

(5) De mercatoribus per dolum et fraudem decoctoribus agunt Matheu et Sanz *De re crimin. controv.* 49. Farinacc. *quæst.* 26. Carpzov *quæst.* 119. *n.* 39. *et seqq.* Sabelli *Pract. univ. verb.* falliti.

(6) Exemplo Decemvirorum tradunt doctores, hujusmodi reos laniandos creditoribus tradi posse. Brun. *De cession. bonor.* apud de Angelis *part.* 2. *cap.* 35. *n.* 29. Alii neminem ex iis se suis temporibus jugulatum vidisse conqueruntur. Caravit. *lib.* 4. §. 1. *cap.* 65. *n.*

§. 1158. Sapientiori calculo leges nostræ mercatores, qui dolo decoxerint, tamquam furti qualificati reos puniendos statuunt (1).

SECT. III.

DE DELICTIS POLITICO-OECONOMICIS (§. 155.)

§. I.

Animadversio.

§. 1159. Rem serio considerandi facile compertum erit, proprii, verique criminis indolem in his tantum concipi posse, quæ publicam, privatamque securitatem violant. Ad prosperitatem quod attinet, si securitas haud læsa fuerit, quoniam quæ ad eam fovendam, augendamque statuuntur, non ab aliquo aut juris naturalis aut juris gentium certo atque immutabili principio, sed a prudenti tantum legumlatoris arbitrio proficiscantur, æquitatis naturalis, atque universalis justitiæ regulæ sinere non videntur, ut quæ vel jura hominum a natura constituta, vel jura societatis a societatis ipsius indole derivata non violant, ita imputentur, ut qui deliquerit tamquam suorum similium hostis habeatur, eique intra pœnæ limites bellum indictum sit (§. 384.).

---

36. Eos inustione ac perpetua libertatis amissione puniendos esse, nec humaniter nec philosophice docet Filangieri *Scienza della legislaz. lib.* 3. *part.* 2. *cap.* 48.

(1) Cod. Leop. *art.* 79.

§. II.

Fictitia crimina.

§. 1160. Verum enim vero non semper et ubique hujusmodi invaluere principia. Ea fuit olim rerum relationum ignorantia ut, quæ non ad *securitatem* sed ad *prosperitatem* tantum pertinebant, tamquam crimina haberentur, gravissimisque coercerentur sanctionibus (1). Quid quod? Cum prosperitatem publicam promovere legumlatores præsumerent, publicas ærumnas in molem immensam conflarunt, cujus rei antiquissima nec non recentia exempla sunt leges de annona latæ.

§. 1161. Annona ita ab anno dicta (2) significat quidquid provisum fuerat ut annuæ populi alimoniæ inserviret (3). Annonam publicam fraudare idem perinde fuit ac agere ut res victui necessariæ carius venderentur ad privatam ejus, qui fraudabat, utilitatem (4). Hinc *Dardanarii*, *Seplassarii*, *Pantapolæ*, *Pantometaboli*, *Sitocaperi*, *Fraudatores*, *Vastatores*, *Flagellatores annonæ*, ridicula ac turpissima nomina, quibus eos Romani designavere, qui

---

(1) *Lex.* 2. *Decemb.* 1701. *cap.* 14. eis, qui exterum sal in rempublicam intraducebant, pœnam capitis, et publicationem bonorum indixit. Qua feritate perterritus egregie cordatus Poggi exclamat *o tempora! o mores! lib.* 4. *cap.* 4. §. 42. *not.* 39.

(2) Renazzi *lib.* 4. *part.* 3. *cap.* 8. §. 2. Cremani *lib.* 2. *cap.* 4. *art.* 7. §. 1. *not.* 2.

(3) Matth. *lib.* 48. *tit.* 9. *cap.* 1. *n.* 1.

(4) Renazzi *loc. cit.* Matth. *loc. supr. cit.*

ex annonæ caritate lucrum sperabant (1). Hinc *monopolii* vacua significatus vox, eodemque tempore miseræ atque ignorantis plebeculæ auribus sono horribilis utpotequæ famem, publicamque calamitatem interminari videatur (2). Hinc romanorum legumlatorum decreta, quibus et *relegatione*, et *opere publico* ii puniebantur, qui eo emptas merces supprimere suspicabantur, ut ex caritate lucrum sumerent (3).

§. 1162. Ex eadem publicæ œconomiæ ignorantia sanctiones profluxerunt de corporationibus, et collegiis artificum, quibus, in eos, qui contra fecissent, statutis pœnis, vilioribus ministeriis corpus, et collegium proprium constituebatur (4).

§. 1163. Hæc, aliaque hujusmodi quamvis ratione, longoque temporum experimento improbata non ubique tamen usque adhuc rejecta (5) apud nos publicam felicitatem non vio-

---

(1) Stryk. *Dissert. de Dardanariis cap.* 1. Octavianus Augustus *legem Juliam de annona* tulit, cujus nomine inscribitur *tit.* 12. *lib.* 48. *Dig.* Quæ fuerint legum de annona apud Romanos rationes politicæ explicat Cremani *loc. supr. cit.* §. 3. *cum auct. in not. cit.*

(2) Quid monopolii nomine intelligeretur indicat Cremani *loc. cit.* §. 8.

(3) *Dig. lib.* 48. *tit.* 12. *leg.* 1. 2. *tit.* 18. *l.* 37. *lib.* 47. *tit.* 11. *leg.* 6. *tit.* 20. *l.* 3. Matth. *loc. cit. cap.* 2. *n.* 1.

(4) Conf. Jac. Gotthofred. *ad l.* 1. *Cod. Theodos. de privileg. corporat.*

(5) Conf. Blackston. *Coment. on the laws of England. B.* 1. *chapt.* 13. De rei frumentariæ libertate nuper acute disseruit Anglus scriptor Gilbertus Blane *Ricerche sopra le cause ed i rimedj della passata e*

lant, quæque primum hac super re a PETRO LEOPOLDO immortali, dein ad Optimo FERDINANDO III. confirmata fuere, Etruriam nostram universis Europæ populis tamquam œconomicæ sapientiæ exemplar exhibent, atque commendant.

§. III.

Transitio.

§. 1164. Sed ut e diverticulo revertamur in viam, quoniam jam animadversum est, ea, quæ ad publicam prosperitatem pertinent, quamvis legibus contraria, proprii, verique criminis imputationem respuere (§. 1158.), hujusce principii consecutio est, ut ea potius ad *politiæ* delicta referri debeant. Ad ea igitur investiganda, confestim pergere operæ pretium est.

---

della presente scarsezza ed alto prezzo de' viveri: ex traduct. Cl. Petri Studiati collegæ mei præstantissimi. Matth. testatur, suo ipso ævo fœderatas Batavorum provincias exportationes non prohibuisse *loc. supr. cit. n.* 4.

PARS SECUNDA

DE POLITIÆ DELICTIS

TIT. I.

GENERALIA EXPONUNTUR PRINCIPIA.

§. I.

Horum delictorum indoles.

§. 1165. Politiæ officium latissime sumptum imputationem complectitur, qua etiam in his, quæ vel ad *gradum*, vel ad quasdam criminum *species* referuntur, delinquens mere *corrigitur* (§. 136.). Cum de hujusmodi politiæ delictis huc illuc in criminibus sic proprie dictis explanandis egerimus non est cur ea huc denuo revocentur (§. 139).

§. 1166. Actiones, quæ nec juri naturali, nec universalis ethices principiis contrariæ, ideoque in se indifferentes (1) attamen ob majorem civium utilitatem a legibus vel imperantur, vel prohibentur *transgressiones* dicuntur (2). Hu-

---

(1) Scholasticorum subtilitas indifferentium actionum existentiam inficiata est. De hisce actionibus sapienter disseruit Barbeirac *ad Puffendorf. Du droit de la nature et des gents liv.* 1. *chap.* 1. §. 5. *not* 5.

(2) Delitti e pene §. 3. Bexon *Code de la suretè publique et particuliere ou application de la legislation penale vol.* 2. *pag.* 1.

jusmodi vero actiones, quæ etiamsi ad politiæ officia pertinentes, a *legibus* tamen præfiniuntur, cum eis minime confundendæ sunt, quas *politiæ magistratus* pro *re nata tantum* vel vetat, vel imperat, de quibus suo loco dicendum (1).

§. 1167. Cum transgressio politices tota creatio sit (§. 1165) consequens est, ut in ejus indole decernenda non juris naturalis, sed juris politici regulæ omnino adhibeantur. Hinc si transgressionis *factum materiale* probatum sit, frustra de agentis intentione quæritur, factumque ipsum pro dolo vel culpa accipitur (2). E contra quoniam politicæ leges æquitati naturali adversari minime debent (§. 75) transgressionis factum non per inquisitionem sed per repertionem transgressoris in flagranti delicto quantum fieri potest probandum est (§. 563) ne insontes delationum timor, sontes vero pœnarum perpetua urgeat sollicitudo (3).

§. 1168. Postremo transgressiones tamquam politiæ creationes, ac juri naturali prorsus igno-

---

(1) Conf. Cod. Leop. *art.* 109. Hinc Præses de Montesquieu *Esprit des loix liv.* 26. *chap.* 24. nimis generatim asseruit, in politiæ delictis magistratus magis quam legis officium esse, quod coercet.

(2) Arg. *l.* 1. *tit.* 3. *lib.* 1. *Dig.* Felic. *alleg.* 18. *n.* 37. Farinacc. *quæst.* 90. *n.* 54. 63. Avinionen. *decis.* 107. *n.* 6. Rainald. *Obs. crim. cap.* 16. §. 16. *supplet.* 2. *n.* 25. Bonfini *ad Bannim. Dict. Eccles. cap.* 10. *n.* 35. Cortiada *Decis.* 205. *n.* 14.

(3) Conc. Cod. Leop. *art.* 107. attamen et in transgressionibus multa sunt, quæ per inquisitionem probantur, legibus nostris inspectis.

tæ, quæque tam dolo quam culpæ tribui possunt, mitissimis coercendæ sunt pœnis, pecuniariis scilicet, ac si de mercium contrectatione agatur a lege vetitarum, mercium ipsarum amissione (1). Carcerem cum recidivis in quibusdam transgressionum speciebus adhibendum non invitus fateor (2). Præterea in transgressionibus distinguendum est inter eas, quæ ad *securitatem*, ac eas, quæ ad *prosperitatem* pertinent. Quoniam quæ securitatem respiciunt plus minusve periculi continent, evidens est ut carcer vel exilium a regione adhiberi possit ac debeat (3).

§. II.

Procedendi ordo.

§. 1169. Politiæ delicta utpotequæ et levibus coercenda sunt pœnis (4) et in actionibus consistunt, quæ frequentissime accidunt (5), nec accusationis solemnia, ut de eis legitime constet, requirunt. Summarie in iis cognoscendis agi oportet: sola facti veritas inspicienda (6). Hinc judi-

---

(1) Commissi pœna etiam romanis innotuit *Dig. lib.* 39. *tit.* 4. *l.* 14. Poggi *lib.* 4. *cap.* 4. §. 42. *not.* 38.

(2) Bexon *Code de la sureté publique et particuliere lib.* 4. *passim.*

(3) Plura hujusce rei occurrunt exempla in legibus nostris; quæ ad politiam referuntur.

(4) Montesquieu *Esprit des loix liv.* 26. *chap.* 24.

(5) Montesquieu *loc. cit.*

(6) Ita tamen, ut eæ solemnitates serventur, sine quibus nec satis delatorum calumniis et magistratuum arbitrio occursum dici possit. Cremani *in prolegom.* §.

ces, qui de criminibus pronunciant, non recte de transgressionibus cognoscunt. Utilius œconomicis magistratibus hujusmodi demandatur cognitio si transgressiones excipias, quæ ad vectigal referuntur (1).

§. III.

Thematis expositio ac divisio.

§. 1170. Cum generalem transgressionum indolem, pariterque generales earum coercendarum regulas exposuerimus, non nostrum est singulas species percensere, idque potius pragmaticorum est munus. Quapropter contenti erimus præcipuas transgressionum divisiones exhibere, nonnullasque species pro specimine tantum nominare.

§. 1171. Leges certis civium actionibus transgressionis characterem indunt I. vel ut publicæ privatæque securitati satius consultum sit: II. vel ut publicæ prospiciatur prosperitati. Hinc duæ transgressionum classes, quæ separatim dignoscendæ.

T I T. II.

DE TRANSGRESSIONIBUS QUOAD SECURITATEM.

§. 1172. Quia securitas alia reipublicæ, alia privatorum est (§. 131.) transgressiones ad alterutram referuntur.

---

38. cujus verba retulimus. Conf. Cod. Leop. *art.* 48. 56. 109. ast citatus auctor pœnas *correctorias* cum his, quæ *simplicis* politiæ sunt, confundit.

(1) Integrum ac satis concinum transgressionum tractatum scripsit Cl. Poggi, qui ineditus adhuc est.

§. I.

De trasgressionibus quoad publicam securitatem.

§. 1173. Ad delicta politica quod spectat (§. 131.) huc regulæ pertinent a lege præstitutæ I. quoad advenas, peregrinosque, quibus injungitur ut commeatum habeant (1): II. quoad caupones, stabularios et similes, quorum officium est eos, quos subitario hospitio recipiunt, auctoritati publicæ denunciare (2): III. quoad cives ipsos, qui hospites diversæ regionis pariter denunciare coguntur, quod tamen ad civitates restringendum videtur (3): IV. quoad secretos civium conventus (4): V. quoad typographos, ac bipliopolas, qui scripta prælo subjicere, typisque evulgare, vel jam impressa edere nisi publica auctoritate annuente nequeunt (5): VI. quoad nitrati pulveris, aut armorum ultra certum modum detentores.

§. 1174. Quod ad delicta indirectim politica (§. 688.) circa publicam religionem, ut de ceteris sileam, trasgrediuntur qui dies festos contemnunt aut servile opus suscipiendo, aut commercia exercendo, aut ludis in viis publicis dum

---

(1) Conf. *leg.* 10. *Sept.* 1816.

(2) *L.* 11. *Octobr.* 1633. Sabelli *Praxis univ.* verbo *Albergatori.*

(3) Bexon *loc. cit. liv.* 3. *tit.* 1. *art.* 1. §. 5. *Edict.* 19. *Decembr.* 1814.

(4) Bexon *loc. cit. art.* 39. *et seqq.*

(5) Bexon *loc. cit.* §. 45. *et plur. seq. l.* 19. *Mai.* 1606. Sabelli *op. cit.* verb. *Stampatori.*

sacra peraguntur operam dando (1), nec non si qui stipem religionis nomine publica auctoritate irrequisita corrogant (2).

§. 1175. Ut tranquillitati publicæ (§. 740.) provideatur prohibentur I. aleæ lusus in locis publicis (3): II. armorum delatio absque publicæ auctoritatis licentia (4): III. nitrati pulveris in publicis locis explosiones (5) et similia.

§. II.

De transgressionibus quoad privatorum securitatem.

§. 1176. Hujusmodi securitas ad *personas* quod attinet non pauca a legibus exposcit; quæ tamen cuncta ad politiam administrativam pertinent.

§. 1177. Ad *res* quod spectat ad earum dominia magis magisque protegenda, ac fraudes impediendas hæc a legibus præsertim constituta sunt I. ut quæ ab artificibus argentariis ex auro vel argento conflantur antequam in commercium prodeant signo a publica auctoritate præstituto sint subjicienda (6): II. ut pondera et mensuræ, quibus præcipue utuntur, qui res vi-

---

(1) Bexon. *loc. cit.* §. 88. *et seqq. l.* 12. *Aug.* 1687. *l.* 17. *April.* 1782.
(2) *L.* 1. *Febr.* 1780. *l.* 31. *Octobr.* 1793.
(3) *L.* 13. *April.* 1773.
(4) Cod. Leop. *art.* 102.
(5) *L.* 2. *Aug.* 1780. *l.* 23. *Jul.* 1784.
(6) *L.* 22. *Decembr.* 1817.

clui necessarias vendunt, a publica auctoritate probata atque signata sint (1).

TIT. III.

DE TRANSGRESSIONIBUS QUOAD PUBLICAM PROSPERITATEM.

§. I.

De transgressionibus contra salutem publicam.

§. 1178. Mediam veluti sedem inter securitatem, prosperitatemque publicam occupare videntur, quæ publicam salutem respiciunt, ideoque merito primum hic sibi locum vindicant (2).

§. 1179. Huc pertinent eorum abusus I. qui medicinam, chirurgiam, ostetriciam exercent, pharmaca fabricant, venduntque quin in album publica auctoritate propositum relati fuerint (3): II. qui annonam, cibaria mercesque omnes, quæ victui inserviunt, corruptas insalubres venditant (4): III. qui marcida vina vel putredini

---

(1) *L.* 23. *Maj.* 1774. *l.* 26. *Maj.* 1777. *l.* 17. *Aug.* 1795.

(2) De delictis non de transgressionibus contra salutem publicam agit Filangeri *Scienza della legislaz. lib.* 3. *part.* 2. *cap.* 47. *tit.* 3. perperam tamen, ut arbitror 1. quia non ea quæ salutem sed quæ vitam adimunt ad hanc classem transfert scilicet incendium ac venenorum fabricationem 2. quia ciborum insalubrium venditio ad crimen indistincte trahi, salva æquitate, non potest.

(3) *L.* 19. *Maj.* 1763. *l.* 9. *Decembr.* 1817.

(4) *L.* 14. *Jan.* 1783. *l.* 18. *Jan.* 1796.

jam proxima retinent, eaque auctoritati publicæ haud denunciant (1): IV. qui humana cadavera extra locos a lege præstitutos sive ruri, sive in urbe sepeliunt (2): V. qui eadem cadavera intra vigintiquatuor horarum ab obitu interstitium aut secant, aut inhumant (3): VI. qui latrinas, aliosque putrescentium materiarum refertos locos aut interdiu, aut incolis non monitis deplent (4).

§. II.

De transgressionibus contra ærarium publicum.

§. 1180. Cum administratio reipublicæ sine impensis haberi nequeat, ac pecunia hujusmodi impensis necessaria ex vectigalibus colligatur (5) in publica commoda peccant, qui ærarium publicum ea pecunia quocumque modo privant, non eam auferendo, quod peculatum constituit (§. 1150.), sed ita agendo vel ut pecuniam debitam haud solvant, vel ea negotientur, quæ sibi Fiscus vendenda reservavit.

§. 1181. Apud romanos triplex vectigal fuit I. *decuma*, quæ ex fructibus ab agrorum possessoribus solvebatur: II. *scriptura*, pecunia scilicet, quæ ab iis pendebatur, qui pecora, armentave habebant: III. *portorium*, quod ca-

---

(1) *L.* 1. *Octobr.*
(2) *L.* 25. *Mart.* 1783.
(3) *L.* 2. *Jan.* 1777.
(4) *L.* 2. *Aug.* 1780.
(5) Tacit. *Histor. lib.* 4. *cap.* 74.

piebatur ex rerum venalium exportatione, atque importatione (1).

§. 1182. I. In eos, qui *decumæ* solutionem retardant, civiliter agitur, data tamen susceptoribus facultate certam debiti partem in morosos augendi, quæ in eorum commodum cedit. Quia vero ex libris censualibus, in quibus agri descripti sunt, decuma determinatur, in transgressionem incidunt, qui emptiones venditiones, hæreditates etc. in hujusmodi libris intra certum temporis spatium non profitentur (2).

§. 1183. II. *Scriptura*, tributum scilicet, quod ob armenta corraditur, Sapientissimus PETRUS LEOPOLDUS jamdiu in Etruria nostra penitus abolevit.

§. 1184. III. *Portorium*, quod propriæ vectigal fuit, ita a *vehendo* dictum (3), duplex in Etruria nostra exigitur, et quoad venales res, quæ ab exteris regionibus in nostram invehuntur, et quoad eas, quæ interius circulant. Inter exteras merces aliæ sigillo subjiciuntur, adeout si eo careant ubicumque reperiantur amittuntur: aliæ vectigali tantum subjacent, quod non solum in reipublicæ confinio sed et interius in locis a lege designatis exigitur, cui pariter certæ nostrates merces subjiciuntur. Qui hoc vectigal eludere præsumunt pecuniaria pœna coercentur (4).

---

(1) Cicer. *pro leg. Manil. c.* 6. Sigon. *De antiqua Jur. civ. roman. lib.* 1. *c.* 16. Lipsius *De magnit. rom. lib.* 2. *c.* 2.

(2) *L.* 7. *Aug.* 1781. *l.* 12. *Sept.* 1805.

(3) Brunemann *in Cod. lib.* 4. *tit.* 61.

(4) *L.* 19. *Octobr.* 1791. In hujusmodi transgressiones per inquisitionem proceditur *dict. leg. art.* 111.

§. 1185. Erant præterea apud romanos alii publici redditus, qui pariter vectigalia vocabantur (1). Id et apud nos obtinet. Hinc contra ærarium publicum delinquunt I. qui sal vel exterum important, vel nostrate privatim venditant (2): II. qui exterum *tabacum* vel important, vel retinent (3): III. qui chartas lusorias publicæ auctoritatis sigillo carentes privatim vendunt (4) etc.

§. III.

De transgressionibus contra œconomiam publicam.

§. 1186. Oeconomiæ publicæ nomine institutiones veniunt, quibus vel civium, vel reipublicæ bona (§. 980.) augentur (5). Contra œconomiam publicam peccant I. qui illicitam venationem exercent (6): II. item qui illicitam piscationem (7): III. qui columbas, non palumbes, quamvis libere vagantes interficiunt (8): IV. qui

---

(1) Lips. *loc. supr. cit.*
(2) Cod. Leop. *art.* 105. juncto *Edicto* 14. *Febr.* 1818.
(3) Cod. Leop. *art.* 106. juncta *lege* 17. *Nov.* 1814. *art.* 42.
(4) *L.* 25. *Aug.* 1816. quæ per inquisitionem in transgressores procedendum statuit.
(5) Say *Traité d' economie politique vol.* 1. *Disc. prelim. pag.* 8.
(6) *L.* 15. *Febr.* 1793.
(7) *L.* 27. *April.* 1783. Sabelli *Prax. univ.* verbo *Pesca.*
(8) *L.* 18. *Jul.* 1814.

nemora iis in locis ubi ea res a lege interdicitur incidunt (1): V. qui immaturos agrorum fructus, præcipue uvas ante præstitutum tempus decerpunt (2), et si quæ sunt hujus generis alia.

§. IV.

De transgressionibus contra liberum publicorum locorum usum.

§. 1187. Non privatim modo sed et publice interest ut tuta et sine damni metu commeantibus via sit (3), cui flumen, aliudve quodcumque ad usum singlorum ex populo destinatum adjiciendum est. Hujusmodi principium violant I. qui aliquid in viam vel effuderint, vel dejecerint (4): II. qui aliquid periculose positum suspensumve habuerint supra locum illum, qua

---

(1) *L.* 24. *Octobr.* 1780. *l.* 2. *Decembr.* 1701.

(2) *L.* 16. *Jul.* 1583. *l.* 4. *Aug.* 1597. *l.* 1. *Sept.* 1634. *l.* 3. *Sept.* 1639. Sabelli *Prax. univ.* verb. *Vini e vendemmia.* Hujusmodi leges, quæ Florentiæ vicinia dumtaxat respiciebant, obsolevere: exoptantur vero præsertim in iis regionibus ubi qui agros possident multi numero sunt ac divisi possessus. Neque hæ leges jura dominii violare posse videntur cum ea politiæ legibus ubique subjaceant.

(3) *Dig. lib.* 9. *tit.* 3. *l.* 1. §. 1.

(4) *L.* 10. *April.* 1782. Jure romano adversus eos, qui dejecerunt aut effuderunt, plures actiones comparatæ fuerunt scilicet actio injuriarum ex lege Aquilia, accusatio tamquam ex crimine extraordinario si quis fimo corrupto transeuntem perfuderit, et actio prætoria de effusis et ejectis, in qua necesse non fuit, personam, quæ dejecit, designari. Voet *ad Pandect. lib.* 9. *tit.* 3. *n.* 1.

vulgo iter fit, in suggrunda, protectove (1): III. qui lubricas materias in via deposuerint: IV. qui lapidicinam prope viam effoderint (2): V. qui currus per urbem vel diu velociter, vel noctu sine laternis agunt (3): VI. qui in flumen diruptorum ædificiorum materias conjiciunt (4): VII. qui in loco publico ædificaverint (5).

T I T. IV.

DE CETERIS TRANSGRESSIONIBUS.

§. 1188. Legum condendarum principia, legumque jam conditarum interpretandarum regulas tradimus non leges condimus. Transgressionum numerus oppido major eo est, quem nos retulimus, ac transgressionum materies concinniori methodo, uberiorique tractatu exponi potuerat. Ast si pragmaticorum libri evolvantur nec ulla apud eos de transgressionis indole certa notio statuitur, nec ea a criminibus probe secernitur. Leges ipsæ apud omnes fere Europæ populos politiæ punitricis officia in integrum constitutionum systema redigere prætermiserunt (6). Neque silentio prætereundum est, transgressionum species et quoad numerum, et quoad classationem ex scientiæ, quæ publicam felicitatem respicit, progressibus vel maxime pendere. Satis igitur sit hujusce rei gravitatem, atque difficultates legentium oculis subjecisse.

---

(1) *Dig. l.* 5. §. 6. *l.* 9. *tit.* 3. *lib.* 9.
(2) *Dict. l.* 10. *April.* 1782.
(3) *L.* 3. *Febr.* 1796. *l.* 11. *Aug.* 1815.
(4) *Dict. l.* 10. *April.* 1782.
(5) *Dict. l.* De Angelis *De delict. Part.* 1. *cap.* 92.
(6) *Elements de la police etc. vol.* 1. *Introd. pag.* 9.

ELEMENTA
JURIS CRIMINALIS
LIBER QUARTUS
DE CRIMINIBUS DIRECTIM PRÆCAVENDIS
CAP. I.
GENERALIA EXPONUNTUR PRINCIPIA
§. I.
Quid politiæ nomine significetur.

§. 1189. Criminum directim præcavendorum methodum *politiam* diximus (§. 31.). Politia, teste Aristotele, est principatus, et consuetudo rerum, secundum quam vivere unumquemque, et conversari decet (1): in qua politiæ definitione omnia comprehenduntur, quæ ad socialem vitam pertinent.

§. 1190. Ut politiæ, quæ in criminibus directim præcavendis consistit, recta habeatur definitio, plura distinguenda sunt. *Institutiones politicæ* generatim sunt, quæ hominem tamquam

(1) *In Rethor. lib.* 1. Conf. De Felice *Dictionnaire de Justice vol.* 11. *verb.* police.

animal politicum (1) consideratum dirigunt. *Politica*, si tamquam scientia accipiatur, est humanarum societatum structuræ theoria (2). *Politia* generatim sumpta est principiorum complexio, quibus, relationibus inter Principem et cives vel subditos in civitate constitutis, omnium securitati ac prosperitati consulitur, quæ definitio tum civiles, tum pœnales, tum œconomicas leges complectitur. *Oeconomia politica* modos investigat, quibus publicæ augentur divitiæ (3). *Politia œconomica* eo pergit ut omnia, quæ fortunam publicam ac publica commoda augere possunt, constituta atque ordinata in civitate sint (4). *Politia* strictim accepta principia complectitur, quibus et legum pœnalium actio, ubi ea opus sit, suam exerat vim, et hujusmodi actio inutilis prorsus evadat, criminum caussas vel amovendo, vel tempestive supprimendo (5).

§. 1191. Cum autem politiæ officium sit criminum caussas tam in civium vivendi ratione, quam in quavis socialis ordinis parte præcavere (§. 47.), manifestum est, hujusmodi officium, a quocumque exerceatur, ad Principis

---

(1) Ita homo ab Aristotele definitur.

(2) Say *Traité d' economie politique vol.* 1. *Dis. prelimin. p.* 7.

(3) Say *Traité d' economie politique Disc. prel. v.* 1. *p.* 8. Bentham *Traités de legislat. civil. et crimin. v.* 1. *pag.* 344.

(4) Encyclopedie Methodique *Police et Municipalité Disc. prelim. pag.* 137.

(5) Politiæ vel *generatim* vel *strictim* acceptæ, œconomiæ publicæ, politiæ œconomicæ, atque administrationis publicæ officia a scriptoribus confunduntur. Ce-

jura ac attributiones pertinere (1). Justitia igitur ideo politicæ opponitur non quod hæc aliquid injuste agat, sed potius quia illa, constitutis legibus, judicibus administranda committitur, hæc summi imperantis ad publicam privatamque salutem tuendam vigilem curam quodammodo perhibet.

§. II.

Animadversio Historica

§. 1192. Frustra in Romanorum institutis, libera florente republica, si censuram ac pauca, quæ Ædilium propria fuere, excipias, politiæ nomen atque officia perquires. Hujusmodi instituta non ad publicam, privatamque securitatem sed ad libertatem publicam respexere. Fuit autem ea libertas paucorum civium. Romæ potestas, qua patres in liberos, mariti in uxores, domini in servos potiebantur, civium numerum vel maxime restrinxit (2), nam extra Latium ju-

---

lebriores inter hosce scriptores sunt de la Marre *Traité de police*, cujus quinque priores libri dumtaxat habentur. Hujus operis continuationem suscepit Le Cler-du-Brillet. Mellier *Code De la voirie*. Perrot *De la voirie*. De la Poix de Freminville *Traité de la police generale des villes bourgs, et paroisses*. Duchesne *Code de la police*. Bielfeld. *Institutions politiques*. Wildebrand. *Abregé de la police*. Des Essarts *Dictionnaire de police*. Sonnenfels *Scienza del buon governo*.

(1) Loiseau *Traité des offic. chap. 9.*

(2) Quomodo civitatis jura primum patriciorum tantum propria ad plebem transierint erudite disserit. Durini *Del cittadino e del governo civile di Roma vol. 1. cap. 4. et seqq.*

ra civitatis sequiori ævo concedi dumtaxat cœ-
perunt (1). Idcirco publicæ paucorum libertati
multorum servitus basis fuit (2).

§. 1193. Politiam, quæ summi imperii in ci-
ves vigilantia est, quamvis libertati civili (§. 26.)
apprime favorabilis (3) cum romanorum institu-
tis nullo modo conjungi potuit. Hinc, libertate
ac virtute publica in dies collabente, publica,
privataque securitas eadem proportione collapsa
est, nilque scelestorum hominum audaciam co-
hibuit (4).

§. 1194. Politiæ origo nec in romani imperii
despotismo, quod suæ non alienæ prosperitati
solo pœnarum metu consuluit, nec in barbaro-
rum, qui romanum imperium funditus everte-
runt, institutis, nec in medii ævi tenebris, nec
in feudalis systematis barbarie inquirenda est.
Domesticæ ac politicæ servitutis abolitio: con-
ditionum inter cives æqualitas ex artium et com-
mercii progressibus orta (5) cum et populatio-
nem, et liberorum civium numerum auxerint,
politiæ necessitatem invexere. Hinc politia ab
humana civilitate inseparabilis est, veteribus

---

(1) Duni *op. cit. vol.* 2. *cap.* 8.

(2) Chatelux *De la felicité publique, ou considerations sur le sort des hommes dans les differentes epoques de l' Histoire vol.* 1. *chap.* 7.

(3) Hume *Essays and treatises vol.* 1. *Essay* 12. *on* civil. liberty.

(4) Conf. hujusce rei exempla, quæ ex Cicerone et Salustio hausit Hume *Essays and treatises loc. supr. cit.*

(5) Robertson *History of the Reign of Charl. V. in introduct.*

prorsus ignota fuit, recentiorumque populorum inventio merito dicitur (1).

§. III.

Thematis expositio, et divisio.

§. 1195. Quoniam politia supremæ potestatis permanens actio est (§. 1190.), ea dupliciter exeritur I. per *leges*, quæ de criminibus directim præcavendis feruntur: II. per *Magistratus*, qui aut *edicunt*, aut *vigilant*, aut *puniunt*. Quo magis criminibus directim præcavendis legibus consulitur civilis securitas eo major procul dubio est.

§. 1196. Politia vero I. vel *administrativa* est, quæ criminum caussas amovet: II. vel *antejudiciaria*, quæ caussas criminum in tempore supprimit: III. vel *judiciaria*, quæ criminum jam admissorum probationes congerit: IV. vel *punitrix*, quæ aut legum imperfectionem supplet, aut actiones respicit, quæ ad jus pœnale sic proprie dictum non pertinet (§. 32.).

§. 1197. Omnes, quas enumeravimus, politiæ species, vel a legibus, vel a magistratibus exerceri possunt, antijudiciaria excepta, quæ a solis magistratibus exerceri potest (2).

---

(1) Hume *loc. supr. cit.*

(2) Ut hujusce divisionis necessitas intelligatur, referam quæ Bentham de politiæ systemate scripsit. „ Les speculateurs politiques ont entrevu tout ceci : „ mais en parlant de cette seconde branche de la le- „ gislation (scilicet de criminibus directim præcaven- „ dis) ils ne s' en sont point faits des idées nettes :

CAP. II.

DE POLITIA ADMINISTRATIVA.

§. 1198. Politia administrativa non socios sed societatem ipsam inspicit, ac curat (1). Illius officium est per felicitatem publicam, rerumque omnium regularitatem et ordinem criminum caussas amovere. Id autem fit vel *generaliter* cum omnia crimina indiscriminatim præcaventur, vel *particulariter* cum ad certa tantum crimina respicitur.

TIT. I.

DE POLITIÆ ADMINISTRATIVÆ OFFICIIS GENERATIM.

§. I.

Humana civilitas.

§. 1199. Si criminum caussæ attento animo considerentur, ad duas classes commode referuntur: scilicet I. appetitus, qui *irascuntur*: II. appetitus, qui *concupiscunt*. Experientia docuit, adhuc barbaros et silvestres homines ab

---

,, la premiere (quæ de pœnis agit) a été depuis long ,, temps reduite en systeme tant bien que mal: la se- ,, conde n' a jamais eté analyseé, on n' a point pen- ,, sé à la traiter avec methode, á la ranger sur des ,, classifications, en un mot á la saisir dans son en- ,, semble. C' est encore un sujet neuf. ,, *Traités de legisl. civil. et crim. vol. 3. pag. 3.*

(1) Bexon *Code de la sureté publique et particuliere etc. liv. 1. tit. 1. chap. 1. art. 1. §. 3.*

iis, qui civilitate instructi sunt, differre et vi affectuum, qui irascuntur, et objectorum inopia, ad quæ affectus, qui concupiscunt, perpetuo feruntur (1).

§. 1200. Omnis igitur, quæ humanam sociabilitatem, ac civilitatem promovent utpotequæ mores emolliunt, humanorumque affectuum objectorum varietate vim minuunt, criminum caussas perimunt. Hinc quæ relate ad primas, præcipuasque vitæ necessitates *luxus* nuncupantur, perpetuo ab arte politica promovenda sunt (2).

§. II.

Publica felicitas.

§. 1201. Si crimina ex immoderato voluptatum desiderio proficiscuntur (§. 269.) quanto magis dolorum irritamenta criminum caussas gignent? Interest igitur publicæ privatæque securitatis, ut ea civitatis conditio perpetuo habeatur, quæ civibus, si frugi atque industres sint, modos offerat, quibus vitæ necessitatibus succurritur (3). Hoc sub aspectu politia admini-

---

(1) Bentham *loc. cit. pag.* 30.

(2) Quid luxus verbo sensu politico significetur docet auctor *Della scienza della legislazione lib.* 4. *cap.* 13.

(3) Brissot de Warville *Theorie des loix criminell. vol.* 1. *chap.* 1. *des moyens des prevenir les crimes.* Sonnenfels *Scienza del buon governo* §. 208. *et seqq.* si in eo præjudicatas circa annonam opiniones excipias, quibus est refertissimus.

strativa œconomiæ publicæ, atque œconomiæ politicæ defecius, si qui sint, scrutatur, atque denunciat (1).

§. III.

Legum perfectio.

§. 1202. Præcipua hominis in sociali statu vivendi ratio ex civitatis legibus ortum ducit. Leges, ac sociales institutiones novum quodammodo in homines instinctum infundunt ab eo longe diversum, quo in statu naturali dirigebantur. Idcirco quo perfectiores leges sunt eo perfectior hujusmodi instinctus efficitur (2). Errant igitur, qui leges, earumque perfectionem rem prorsus inutilem putant, ac humana negocia insita quadam, ac naturali vi incedere, ac perpetuo moveri arbitrantur. Desidiosa hæc opinio, qua nil publico bono exitiosius potest excogitari, crassam atque absolutam hominum naturæ ignorantiam præsefert, atque eo pergit, ut homines in mutuam societatem coalescentes nec societatis, nec naturalis status utilitatibus, si quæ sint, umquam fruantur (3).

---

(1) Quæ sint publicæ felicitatis scatebræ, quæque symptomata docet auctor *Della scienza della legislaz. lib.* 10. *cap.* 3. *et cap.* 8. Oeconomiæ vero politicæ principia fuse explanat auctor operis *Elements de la police generale d' un' etat Yverdon* 1781. quod opus ad memoratam publicæ administrationis partem potius quam ad politiam sic proprie dictam pertinet.

(2) De legum necessitate ad crimina antevertenda disseruit Renazzi *lib.* 2. *cap.* 14. §. 3.

(3) Nemo procul dubio inter legumlatores in legibus

§. IV.

Spiritus publicus.

§. 1203. Spiritus publicus recte definiri potest civium *habitus practicus juxta legum principia agendi, ipsarumque legum executionem ultro propriis viribus adjuvandi.* Ex spiritu publico *publica* manat *opinio*, quæ definiri potest *sanctio popularis ex civium unanimi consensu descendens, qua certæ actiones vel probro, vel laudi vertuntur prouti utilitatem publicam, vel lædunt, vel promovent* (1). Spiritum publicum conformant I. Legum perfectio (§. 1201.): II. Legum populo exposita ratio (2): III. Judiciorum publicitas (3): IV. Negociorum, quæ ad municipium spectant, iis ipsis, qui ex municipio sunt, concredita administratio, salva tamen publicæ auctoritatis inspectione (4): V. Ad supremam potestatem, per municipii præsides, populi accessio quædam (5).

12 *

---

perficiendis Petro Leopoldo immortali alacrior atque indefessior fuit, nec ullus est in Etruria nostra inaccessus angulus, qui tanti legum conditoris vigilias, labores, ac ardentissimum erga subditos amorem non memoret.

(1) Sanctionem hanc, confuse tamen, indicat Bentam *loc. supr. cit. pag.* 132. *chap.* 17.

(2) Conf. Sonnenfels *Scienza del buon governo* §. 32. Bentham *loc. cit. pag.* 179.

(3) Bentham *loc. supr. cit. vol.* 3. *pag.* 130.

(4) Huc respexisse videtur sapientissimus Petrus Leopoldus in *leg.* 17. *Jun.* 1776.

(5) Conf. *l.* 16. *Sept.* 1816. *art.* 38.

§. 1204. Nemo non intelligit, spiritum publicum cives et subditos quotquot sunt legum custodes, et vindices efficere, adeoque ad publicam, privatamque securitatem fovendam apprime se contribuere.

§. V.

Benevolentiæ cultura.

§. 1205. Humanissime ait Cicero, hominum naturæ, quam sequi debemus, vel maxime inimicam esse crudelitatem (1). Omnia igitur, quæ feritatem ac crudelitatem præseferunt, diligenter a civitate arcenda: ea namque criminum præsertim crudelium totidem fomites atque incipiendi tabula sunt. Hinc lusus, spectacula prohibenda, quibus vel homo in hominem, vel homo in animal sævit (2). Hinc ipsa pœnarum asperitas utpotequæ animos exemplo frigidæ crudelitatis corrumpit quantum fieri potest a legum sanctionibus eliminanda (3). Postremo publicæ beneficentiæ instituta sedulo promovenda sunt (4), ac mutuæ inter homines ob religionis differentiam antipathiæ, quantum vera concedit religio, civili tolerantia minuendæ (5).

---

(1) *De offic. lib.* 3. *cap.* 6.

(2) Bentham *loc. supr. cit. vol.* 1. *pag.* 123. 124.

(3) Sonnenfels *Scienza del buon governo* §. 347. *et seqq.*

(4) Bentham *loc. cit. pag.* 127.

(5) Quid civilis tolerantiæ nomine Catholici Principes voluerint intelligere tradit Cremani *lib.* 2. *cap.* 2. *art.* 1. §. 15. 16. Ea autem toto cœlo distat a reli-

§. VI.

Litteræ (1).

§. 1206. Ingenuas fideliter didicisse artes emollit mores, nec umquam homines feros sinit esse. Præterea crimina non solum metu pœnarum sed et ipsa ratiocinandi vi tamquam humanæ naturæ contraria deprehenduntur (§. 267.): quin et experientia rerum magistra ostendit, omni disciplina rudes homines frequentius quam litteris instructos delinquere (2). Litteræ igitur ad omnes populi classes porrigendæ sunt, sine quibus spiritus publicus (§. 1202.) efformari nequit, quibusque vani, queis sæpe plebecula commovetur, terrores dissipantur, et impostorum artes irritæ facilius redduntur (3).

§. VII.

Educatio Publica.

§. 1207. Quæ sit religionis in criminibus directim præcavendis utilitas alibi diximus (§. 691):

---

gionis *indifferentia*, quam veluti utilem et fere necessariam in civitate defendit Necker *De l' importance de la morale, et des opinions religieuses.*

(1) Hoc nomine omnia comprehenduntur, quæ appellari solent — *Instruzione pubblica* —

(2) Quam vitiorum, ac scelerum fœcunda fuerint inerudita ac barbara sæcula, quæ medii ævi nomine designantur, nemo non novit. Robertson *History of Charl. V. in introd.*

(3) Conf. Bentham *loc. cit. pag.* 148. *chap.* 19.

morum inspectio ad politiam punitricem pertinet.

§. 1208. Suorum similium incensi amore, ac nova nondumque excogitata sectantes nonnulli inter rerum politicarum scriptores rati sunt, publicæ auctoritatis actionem ad cunctos civium cœtus certa educationis ratione ac methodo imbuendos porrigi posse (1). Ast nullum est quamvis suapte natura excellens principium, quod certis circumscribi limitibus haud debeat. Mores quadantenus servare, non equidem ullo modo dare ars politica potest nisi sub publicæ utilitatis specie privatorum libertatem offendere velit: eaque est in præsenti hominum conditione plebeculæ multitudo, ut illi, si de publicis moribus agatur, utiles labores pro moribus tantum sint (2). Ad privatos mores quod attinet, eos religio jubet, natura ipsa inspirat, ratio confirmat, Ecclesiæ administri exemplo ac voce statuminant (3).

Sonnenfels *loc. cit.* §. 102. sui Anglorum *scholas errantes* commendat. Quanto magis igitur ea methodus promovenda videtur, qua adolescentes mutuo se docent, quæque *Bell* et *Lancaster* tribuitur!

(1) Filangierius, qui de humanitate, ac legislatoria scientia optime meruit, quique tamen sæpe sæpius imaginari potius quam meditari consuevit, educationis publicæ specimen exhibuit, in quo nil præter executionis possibilitatem desideratur. Conf. Filangeri *Scienza della legislazione lib.* 4. *per tot.*

(2) *Nam illud verum est Marci Catonis oraculum, nihil agendo homines, male agere discunt.* Colu-mell. *De re rust. lib.* 11. *cap.* 1.

(3) Quæ de educatione habet Renazzi *lib.* 2. *cap.* 14. §. 7. ad moralem potius quam ad politicam disciplinam referenda sunt.

§. 1209. Politiæ igitur quoad publicam educationem in tantum præstare sufficiat I. ut patria potestas legum auxilium perpetuo habeat: II. ut publica instituta in civitate sint, in quibus orphani, aliique publica commiseratione digni publicis sumptibus educentur: III. ut idem obtineat quoad filios eorum, qui deliquerint, vel alio quocumque modo legum diffidentiam excitaverint (1).

§. VIII.

Pœnarum politia.

§. 1210. Nihil est in optimo civitatis regimine, quod politiæ vigilantiam effugiat, pœnæque

---

(1) De delictis generatim præcavendis plura apud nostri juris scriptores inveniuntur, quin tamen principia quæ ad hanc legum partem pertinent in scientiæ systema redacta fuerint. Conf. Renazzi *lib.* 2. *cap.* 14. Servin *De la legislation criminelle liv.* 1. *chap.* 1. *art.* 1. §. 3. Brissot de Warville *Theorie des loix criminelles vol.* 1. *chap.* 1. Bentham *Traités de legislation civil et pen. vol.* 3. *chap.* 1. 22. Bentham ea, qua pollet, ingenii acies, de juris nostri scriptoribus, qui de delictis directim prævavendis egerunt, judicium tulit dum scripsit ,, Au contraire quand ils viennent á ,, parler des moyens de prevenir les delits, de rendre ,, les hommes meilleurs, de perfectionner les *moeurs*, ,, leur imagination s' echauffe, leurs esperances s' exal- ,, tent, on croirait qu' ils sont prets a produire le ,, grand oeuvre, et que le genre humain va recevoir ,, une face nouvelle. C' est qu' on pense plus magni- ,, fiquement d' un objet en proportion de ce qu' il est ,, moins familier, et que l' imagination a plus d' es- ,, sort sur des projets vagues, qui n' ont point encore ,, subi le joug de l' analyse ,, *loc. cit. Introd. pag.* 3.

ipsæ, quæ legum omnium colendarum externæ civium obligationes sunt (§. 270.), præ illius oculis semper adsint oportet.

§. 1211. Pœnarum politiam dicimus id, quo fit, ut pœnarum *constitutio*, atque *irrogatio* objecto suo exacte respondeant.

§. 1212. Pœnarum constitutionis objecto ea omnia adversantur, quæ impunitatis spem præbent. Politia igitur magistratibus vigilat, qui legum pœnalium applicandarum funguntur munere, quin tamen judicum conscientiam coarctet, vel in justitiæ decisionibus sese immisceat: pœnarum jam decretarum celeri executioni prospicit: executionem ipsam perpetuo instat: cumque actio summi imperii sit, venia ipsa, cujus indulgendæ jus ad Principem spectat (§. 343.), politiæ calculo subjicitur.

§. 1213. Pœnarum irrogationis objectum ea omnia frustrantur, quæ in *detinendis* vel *puniendis* reis, qui ad tempus non in perpetuum damnati sunt, eorum mores non emendant. Hinc I. reis ab jam judicio damnatis secernendi: II. qui ad tempus cum his, qui in perpetuum damnati fuere, non confundendi: III. facilis, ac si fieri potest, permanens inclusorum inspectio adhibenda (1): IV. commentariensium probitati, mansuetudini, moribus, prospiciendum: V. inclusi religionis præceptis, hisque omnibus, quæ mores perficiunt, imbuendi (2).

---

(1) Conf. quæ habet Bentham, quæque *Panopticæ* nomine proposuit. *Traités de legislat. civil. et crimin. etc. vol. 3. pag. 209. et seqq.*

(2) Howard *Etat des prisons etc.* passim.

TIT. II.

DE POLITIÆ ADMINISTRATIVÆ OFFICIIS SPECIATIM.

Indaginis methodus.

§. 1214. Cum de delictis, iisque imputandis egimus, agentes omnes nobis enumerati sunt, a quibus homines damnum recipere, quandoque possunt. Ad hominis in hominem injuriam quod attinet diversos intentionis gradus perpendimus, quibus hujusmodi infertur injuria (§. 143. *et seq.*).

§. 1215. Nonnulli autem ex enumeratis agentibus, nonnullique ex perpensis intentionis gradibus sunt, qui nec imputationem, nec pœnam patiuntur: adeout damna, quæ inferunt, casibus majoribus (147.) adnumeranda sint.

§. 1216. Ex præmissis consequitur, politiæ in criminibus directim præcavendis distinguendum esse I. inter ea, quæ casu: II. eaque quæ dolo admittuntur: nam cauthelæ ad alterutra avertenda directæ ejusdem naturæ esse nequeunt.

§. 1217. I. Primum igitur inquirendum est quomodo damna præcaveantur I. quæ a rebus inanimatis, ac brutis animantibus: II. quæ ab homine vel ob ætatis, vel ob mentis sanitatis defectum: III. quæ impetu, culpa, casu obvenire possunt: quæque infortunia potius dicuntur.

§. 1218. II. Dein inspiciendum est quomodo directim averruncanda sint crimina, quæ dolo ex nequitia admittuntur, juxta varias eorum classes, et titulos.

SECT. I.

DE POLITIÆ ADMINISTRATIVÆ OFFICIIS QUOAD INFORTUNIA, VEL QUÆ INFORTUNIIS ADSIMILANTUR.

§. I.

De rebus inanimatis.

§. 1219. Ædilium Romæ munus fuit sacras, ac publicas ædes curare (1). Quoad ædes privatas, ex quibus damnum imminebat, cautio de damno infecto prodita est, quæ ad civilem examinationem remittitur (2).

§. 1220. Politiæ officium est ædificiis tum publicis, tum privatis vigilare, quæ aut minus diligenter constructa, aut ætate collabentia ruinam minantur, eorum dominis vel novas constructiones, vel promptas reparationes injungere. Politiæ pariter officium est nova opera scrutare, quæ ut plurimum, occasione spectaculorum construuntur, nec non vias publicas, pontes curare ne quid inter facientibus sinistri accidat (3).

§. 1221. Huc quoque pertinet præstantissi mæ

---

(1) Dyonis. Halicarnass. *Histor. lib.* 6. Sub imperatoribus Aedilium munus quoad ædes et vias publicas latius patuit ut arguitur ex *l. unica tit.* 10. *lib.* 43. *Dig.*

(2) *Dig. lib.* 39. *tit.* 2. qui inscribitur *de damno infecto, et de suggrundis, et protectis.*

(3) Bexon *loc. supr. cit. tit.* 2. *chap.* 4. *art.* 48. 49.

illius ac propie divinæ inventionis præcipue in urbibus dilatatio, qua fulminei ictus præcaventur.

§. II.

De brutis animantibus.

§. 1222. Ædiles Romæ edixerunt, nemini licere canem, aliudve animal sive solutum, sive ligatum in plateis, viisque publicis habere (1). Extra locum publicum romanis licuit quævis habere animalia veluti canes, ursos, et similes (2). Actio *noxalis*, actio de *pauperie*, actio *legis Aquiliæ* ad justitiam non ad politiam pertinent (3).

---

(1) Instit. *lib.* 4. *tit.* 9. §. 3. Prætori hoc edictum tribuit Paulus *Recept. sentent. lib.* 16. §. 2. Idem Paulus quamdam Pesulaniam legem memorat, qua de cane cavebatur. Heinecc. *Antiq. rom. lib.* 4. *tit.* 4. §. 2.

(2) Varro *De re rust. lib.* 1. §. 21. Dignus animadversione est Ammiani Marcellini locus ubi de Valentiniano Imperatore ita scribit „ Illud tamen nec prætereiri est æquum, nec sileri, quod cum duas haberet „ ursas sævas hominum ambestrices *Micam auream*, „ et *Innocentiam*, cura agebat enixa, ut earum ca- „ veas prope cubiculum suum locaret, custodesque „ adderet fidos, visuros sollicite, ne quo casu fera- „ rum rumperetur luctificus calor. Innocentiam deni- „ que, *post multas, quas ejus laniatu cadaverum* „ *viderat sepulturas, ut benemeritam in silvas abi-* „ *re dimisit innoxiam* „ Amm. Marcell. *Rer. gestar. lib.* 29. §. 3.

(3) Conf. Cl. Poggi *Elem. jurisp. crimin. lib.* 4. *cap.* 12. §. 100. *et auct. in not. cit.*

§. 1223. Politia prohibet ne ursi, pantheræ, leones, et hujus generis alia in civitate a circulatoribus et circumforaneis habeantur (1): curat ut qui canes retinet eos interdiu vinctos, alligatosque habeat ut romanis mos fuit (2): ut canes, qui libere vagantur, atque absque domino sunt, occidantur (3): demum ut animalia homini infesta extirpentur (4).

§. III.

De ætatis defectu in homine.

§. 1224. Summa æquitate legibus nostris cavetur, ne ob delicta ab impuberibus patrata, qui duodecimum ætatis annum haud excesserint, inquisitio transmittatur, resque ad politiæ magistratus remittitur (5). Attamen animadversum fuit, periculosum esse impuberes magistratibus subjicere (6), eorumque pœnas publico bono facile nocituras magis quam profuturas (7).

---

(1) Conc. *Ediet.* 11. *Decembr.* 1819. Jure romano in circulatores, qui serpentes circumferebant et proponebant si cui eorum metu damnum datum fuisset, accusatio extraordinaria, ut Accursius interpretatur, concedebatur. *Dig. lib.* 47. *tit.* 11. *l. ult.* Matth. *lib.* 47. *tit.* 5. *cap.* 4. *n.* 2.

(2) Varro *loc. supr. cit.*

(3) Sonnenfels *Scienza del buon governo* §. 149.

(4) *L.* 29. *Novembr.* 1595. Sabelli *Prax. univ. verbo* Lupai.

(5) Poggi *lib.* 1. *cap.* 1. §. 17. *not.* 45.

(6) Bentham *Traités de legislat. civil. et crimin. vol.* 1. *chap.* 20. *n.* 3.

(7) Cremani *lib.* 1. *part.* 1. *cap.* 6. §. 11.

§. 1225. Sunt qui sapientissime insitutum proponunt, quo in quavis parœcia duo inter probiores cives puerorum peccatis, pravis animi inclinationibus, nec non parentum in iis reprehendendis socordiæ vigilarent, ac levi etiam coercitione succurrerent (1).

§. IV.

De mentis sanitatis defectu.

§. 1226. Non humanitatis tantum sed etiam politiæ instituta consideranda sunt, quibus surdi muti a nativitate litteris imbuuntur, ac furiosi, aliique mentis haud compotes vigilantur, ac libertate privantur (2). Supervacaneum igitur foret iis immorari, quæ humanitas ipsa commendat.

§. V.

De his, quæ impetu, ebrietate admittuntur.

§. 1227. Impetum affectuum, atque ebrietatem mentem sua sede quodammodo pellere alibi observatum est. Plura huc pertinentia, quæque criminis, quæ ex impetu et ebrietate proficiscuntur, viam præcludere possunt, ad politiam an-

---

(1) Poggi *loc. supr. cit. not.* 43. Domestici tribunalis specimen proposuit Bexon *Code de la sureté publique et particuliere etc. liv.* 2. *chap.* 6.

(2) Apud Romanos præsides provinciarum furiosos ob publicam salutem in vincula conjiciendi potestatem habuisse colligitur ex *Dig. lib.* 1. *tit.* 18. *l.* 14.

tejudiciariam, et ad œconomici magistratus censuram spectant.

§. 1228. Attamen experientia docuit, factitiarum potionum usum ebrietatem utplurimum excitare, rixasque et jurgia inter pocula facilius enasci. Præstat igitur I. ut potionum, quæ inebriant, usus vel maxime restringatur, eorumque loco quantum fieri potest aliæ substituantur: hinc potiones illæ, quæ vel ex arabibus fabulis, vel ex sinensibus foliis conficiuntur, politiæ mire inserviunt (1): II. ne cauponarum numerus nimis increbescat: III. ut cauponæ ipsæ statis horis præcipue nocturnis claudantur (2).

§. VI.

De his, quæ culpa, et casu admittuntur.

§. 1229. Huc pertinent præcipue incendia, inundationes, submersiones, quæ omnia nominasse sat est, cum nemo ignoret, quæ a politia administrativa adhiberi soleant, ut incendia vel impediantur, vel jam exorta confestim extinguantur (3), ut flumina eluvionis tempore vigilentur (4), ut denique vel submersuris, constitutis præmiis, succurratur, vel submersis ex

---

(1) Bentham *Traités de legislat. civil. et crimin. vol.* 3. *chap.* 4. *p.* 32.

(2) Bexon *Code de la sureté publique et particuliere etc. liv.* 1. *tit.* 1. *chap.* 3.

(3) Bexon *loc. cit. tit.* 3. *chap.* 4. *art.* 49. 50.

(4) Bexon *loc. cit.* Conf. Henrion de Pansey *De l' autorité judiciaire etc. chap.* 18. quod inscribitur *de la police pag.* 313.

aquis subtractis necessaria præstentur auxilia, et vitalis auræ haustus in iis renoventur (1).

§. 1230. Cum infortuniis magna populi frequentia præsens occasio utplurimum sit, si quando accidat, politiæ vigilantiam desiderat (2).

SECT. II.

DE POLITIÆ ADMINISTRATIVÆ OFFICIIS QUOAD CRIMINA IN SPECIE.

§. 1231. In hac rerum, ac principiorum refertissima materia memoriæ legentium, quod jam monuimus, repetendum putamus (§. 1187.), scilicet nos non omnia singillatim enucleare, sed præcipua breviter et carptim perstringere pro specimine tantum voluisse.

§. I.

De delictis directim politicis.

§. 1232. Quæ ad reipublicæ tamquam persona moralis consideratæ, ideoque ad Prncipis securitatem seorsim a constitutis pœnis pertinent, ex illius sapienti arbitrio dumtaxat pendent. Nefas igitur plura hac de re subnectere. Liceat tamen Principis quamvis indocti, barbarique ævi, ferociumque gentium legislatoris effatum proferre - *ex mansuetudine Principum oboritur dispositio legum, ex dispositione le-*

---

(1) Mahon *La medicina legale vol. 3. pag.* 1.
(2) Sonnenfels *Scienza del buon governo* §. 149.

gum institutio morum, ex institutione morum concordia civium (1).

§. II.

De criminibus indirectim politicis.

§. 1233. Non sufficit Religionem publicam constitutis sanctionibus defendere (§. 700. *et seq.*). Oportet etiam civium amorem ei perpetuo conciliare, caussasque avertere, quæ illius cultum in contemptus discrimen deducere possent. Hinc aniles superstitiones a religione arcendæ (2): nimia festorum frequentia restringenda (3): Ecclesiasticæ auctoritatis abusus impediendi (4): Ecclesiasticorum scrutandi mores, eorumque vitæ ratio ne publico exemplo obsit cavendum (5).

§. 1234. Crimina contra tranquillitatem publicam (§. 740. *et seq.*) omnia ex vi privatorum descendunt. Privatarum igitur virium inter cives exæquatio, quæ a commerciis, artibus profluit, optimum contra hujusmodi crimina remedium est. Neque ad ea radicitus evellenda parum confert subjectionis politicæ habitus, qui in civium animis comparatur ea publicæ administrationis forma, qua illius actio semper ut ita dicam præ populi oculis est. Hæc autem omnia inutilia pror-

---

(1) Leg. Wisigoth. *lib.* 1. *tit.* 2. *leg.* 6.

(2) *Elements de la police vol.* 1. *Introd. art.* 12.

(3) *Istruzioni per i Giusdicenti del Granducato di Toscana* 18. *Apr.* 1781. §. 66.

(4) *Istruzioni etc.* §. 46. *et seqq.*

(5) *Istruzioni etc.* §. 51.

sus evaderent nisi vigiles, lictores, satellites, qui sub populi oculis legum executioni præficiuntur, legum ipsarum, ac supremæ auctoritatis majestatem moribus, actionibus, nec non in veste insignibus quodammodo referent (1). Ceterum inter civilem, et militarem potestatem simultates nullæ, perpetua conjunctio esse debet (2).

§. 1235. In criminibus contra justitiam publicam ea distinguuntur, quæ a publicis personis contra privatos admittuntur (§. 770. *et seq.*): quæ a privatis in publicas personas (§. 816. *et seq.*): quæ a privatis in privatos (§. 830. *et seq.*)

§. 1236. Crimina contra justitiam publicam publicarum personarum contra privatos fere omnia in auctoritatis abusu consistunt. Hujusmodi abusum impediunt I. potestatum hierarchia, quam vocant, ita ut minores majorum magistratuum inspectioni subjaceant (3): II. magistratuum pro-

---

(1) Præfecti vigilum plura apud romanos sub imperatoribus ad publicam tranquillitatem pertinentia exercebant. Sed cum postea ex vilioribus eligerentur hi vigilum præfecti, et obscurius ipsis a nocte ac tenebris daretur *nyctoparchorum* nomen, atque ipsi non raro cum furibus conspirarent, abrogato hoc ma istratu, Justinianus *prætores plebejos* constituit ex viris undequaque honestissimis, et honoratissimis eligendos. *Nov.* 13. *cap.* 1. 3. 6. Cujac. *ad dict. nov.* Pancirol. *not. utr. imper. lib.* 1. *c.* 27. *lib.* 2. *c.* 6.

(2) Adde quæ habet Sonnenfels *Scienza del buon Governo capit.* quod inscribitur *Interna pubblica sicurezza.*

(3) Henrion de Pansey *Du pouvoir judiciaire dans les gouvernements monarchiques chap.* 5.

vincialium de una ad aliam provinciam intra certum temporis spatium translocatio (1): III. secretæ informationes (2).

§. 1237. Crimina contra justitiam publicam privatorum quoad publicas personas directim amoliuntur I. magistratuum mansuetudo (3) cum dignitate (4) conjuncta: II. nullum partium studium (5): III. luxus et fastus contemptus (6): IV. in officio assiduitas (7): V. in audiendo ac reprehendendo benignitas (8): VI. in litibus compescendis studium atque sollicitudo (9): VII. lictorum officiis vigilantia ne quid vel durius, vel contra legum præscriptum sibi arrogent aut faciant (10).

§. 1238. Si ea huc revocentur, quæ de criminibus contra tranquillitatem publicam præcavendis diximus (§. 1233.) pauca deerunt quæ crimina contra justitiam publicam privatorum quoad privatos præcaveant (11).

---

(1) Bentham *loc. cit. cap.* 21. §. 4. Antequam Bentham hæc scriberet magna Petri Leopoldi mens eadem in legem cooptaverat.

(2) Bentham *loc. cit.* qui rem exemplis et rationibus exornat.

(3) *Instruzioni per i Giusdicenti del Granducato di Toscana* 28. *April.* 1781. *art.* 1.

(4) *Istruzioni etc. art.* 3.

(5) *Istruzioni etc. art.* 7.

(6) *Istruzioni etc. art.* 2.

(7) *Istruzioni etc. art.* 11.

(8) *Istruzioni etc. art.* 2.

(9) *Istruzioni etc. art.* 15. 16.

(10) *Istruzioni etc. art.* 39. *et seqq.*

(11) Non facile assentiar Bentham, qui ad jus sibimet propria auctoritate redditum præcavendum *duello* non modo tolerantiam sed indulgentiam proponit *loc. cit. ch.* 3. *n.* 3.

§. III.

De delictis politico-civilibus.

§. 1239. In hac criminum classe multiplices tituli exposcunt ut non ad unumquodque crimen sed potius ad criminum caussas, politiæ respiciant officia. Hujusmodi caussæ (si infanticidium, ac abactionem partus excipias) vel in affectibus, qui irascuntur, vel in his, qui concupiscunt (§. 1198.), radices agunt. Quoad affectus omnes, qui irascuntur ac immediate in personas irrumpunt (§. 316.) quæ de politiæ administrativæ officiis generatim diximus huc quoque pertinent (1). Superest ut de causis dicamus, quæ immediate in res appetibiles diriguntur (§. 316.).

§. 1240. Hujusmodi causæ I. vel a pravo habitu: II. vel a status mutatione: III. vel ab indigentia ortum ducunt.

§. 1241. I. Pravi habitus ad furta, rapinas, latrocinia, aliave hujus generis damna patranda impellunt otiosos; vagabundos, improbe mendicantes, qui si alienigenæ sint expellendi: sin minus laboribus addicendi sunt; eos, qui publico judicio ob furtum damnati fuere, quique sedulo explorandi (2).

§. 1242. II. Status mutatio eos omnes ad furta proclives efficit, qui cum arte exercuerint,

---

(1) De homicidiis præcavendis nonnulla exhibuit Sonnenfels *Scienza del buon governo* §. 150. *et seqq.*

(2) Conf. Bentham *loc. cit. chap.* 5. *pag.* 46. *in fin.*

quæ prorsus parasitæ sunt, nec mentis aut manus ingenium requirunt, si eas amittunt, societatis inutile pondus evadunt. Hujusmodi igitur artes in civitate inexorabiliter interdicendæ; et ad famulos a dominis dimissos quod attinet ea adoptanda, quæ a juris nostri scriptoribus proponuntur (1).

§. 1243. III. Si civitas in eas occasiones inciderit, quibus vel ob annonæ caritatem, vel ob aliam quamcumque causam pauperes personæ necessariis alimoniis careant, opera publico sumptu instituenda sunt, in quibus conficiendis pauperes adhibeantur, alanturque, quod nuper non sine magno publici ærarii dispendio, humanitate plaudente, optimus Etruriæ nostræ Princeps munificentissime præstitit.

§. 1244. Quoad furta, quæ falsi, aliæve imposturæ ope admittuntur, eorum diligentia laudanda est, qui populi spiritum ita instruendum proposuerunt, ut inter imposturas, quæ frequentiores sunt, facile dignoscantur, atque impediantur (2).

§. 1245. Crimina, quæ contra familiarum ordinem (§. 1015. *et seq.*) eaque quæ contra continentiam publicam admittuntur (§. 1138. *et seq.*) ex eadem causa dimanant, scilicet ex inordinato affectionum impulsu, quibus humani generis propagationem provida natura concredidit. Ex quo fit, ut si hujusmodi affectiones,

---

(1) Thomas Morus in sua Utopia primus furtorum frequentiam aucto famulorum numero tribuit. Conf. quæ habet Sonnenfels *Scienza del buon governo* §. 128.

(2) Bentham *loc. supr. cit. cap.* 10. *art.* 6.

quas natura inspirat, naturæ ipsius aut familiarum ordinem haud subvertant, quamvis suapte indole extra matrimonium pravæ, ab arte politica tamen tolerandæ sunt ne quantum fieri potest castæ domus stupris polluantur, et ut ceteræ improbiores arceantur libidines (1).

§. 1246. Inter crimina contra fidem publicam monetæ adulteratio (§. 1144.) utpotequæ qualificatum furtum regulis subjicitur, ad illam avertendam sufficiunt quæ jam circa furta directim cavenda exposuimus. Idem de peculatu dicendum si tamquam auctoritatis abusus consideretur, quod delicti genus quomodo antevertatur supra animadversum est (2).

---

(1) Apud romanos concubinatus (§. 1078.) non solum a legibus toleratus fuit, sed juridicos habuit effectus *Dig. lib.* 25. *tit.* 7. *Cod. lib.* 5. *tit.* 26. *Nov.* 74. 79. Heinec. *ad legem Juliam et Papiam Proopæam lib.* 4. *p.* 164. Giannone *Opere postum. pag.* 108. Ecclesiasticæ tamen sanctiones illum prohibuerunt. Van-Espen *Jus Ecclesiast. part.* 2. *lib.* 4. *cap.* 6. Cremani *lib.* 2. *cap.* 6. *art.* 1. §. 9. *et auct. in not. cit.* Ad fornicationem (1078.) quod attinet meretrices apud ædiles romæ nomen suum profiteri jubebatur: Tacit. *Annal. lib.* 2. *cap.* 85. earumque quæstus vectigali obnoxius fuit. Sveton. *in Calig. cap.* 40. Lamprid. *in Alex. cap.* 24. Cremani *loc. cit.* §. 2. Multa de hisce humanarum libidinum cloacis, ac de politico earum regimine scripta sunt. Bretif de la Bretonne in suo opere, quod inscribitur *le Pornographe*, institutum proposuit, quo meretricium receptio ac vita certis subjicerentur regulis. Conf. Bentham *loc. cit. chap.* 5. *sect.* 3. *per tot.* S. Didier. *Relation de Venise chap. des courtisanes. Dictionnaire des coutumes, art. courtisanes.* Encyclopedie methodique *Police et Municipalité art. courtisane.*

(2) Nonnulla quoad peculatum specialius proposuit Bentham *loc. cit. chap.* 7. 8.

CAP. II.

DE POLITIA ANTEJUDICIARIA.

§. 1247. Alibi diximus, hanc politiæ speciem in œconomici Magistratus prudentia omnino consistere (§. 50.), eamque non a legibus, sed a magistratibus exerceri (§. 1196). Præstat tamen modos inquirere, sine quibus hæc politiæ pars suo fungi munere haudquaquam posset.

§. 1248. Modi ad hunc finem assequendum necessarii in vigilantia omnes continentur: quæ vigilantia si probe, et ex fide adhibeatur publicam, privatamque securitatem protegit, fovet: sin minus in molestam inquisitionem degenerat, quæ civium animos diffidentia, sollicitudine, atque anxietate perturbat. Hinc juris nostri scriptorum dissidia, quorum alii vigilantiam hanc laudibus ad cœlum extollere, alii probris ad imum deprimere conati sunt (1).

§. 1249. Quisquis religionem non spernit, mores non violat, legibus obtemperat, suum penum ex industria vel ex fortuna habet, is profecto non est, qui politiæ vigilantiam mereat. E contra si quis in religionem, et mores minus reverenter agat, legum spretum ostendat, vel ejus vitæ ratio illiciti quæstus suspicionem suscitet, nemo est qui neget, hujus furfuris ho-

---

(1) Plura ad hanc politiæ partem pertinentia exhibet Sonnenfels *Scienza del buon governo* §. 324. *et seqq.* nec non Bexon *Code de la sureté publique et particuliere etc. liv.* 1. *tit.* 2. *chap.* 2. *per tot.*

minem sedulo explorandum esse ne in pejus ruat. Quosdam igitur agendi habitus non cives indiscriminatim, nec actiones omnes politia scrutatur.

§. 1250. Verum si de locis publicis agatur de iis scilicet, in quos ingredi omnes possunt, politiæ jus officiumque est hisce locis vigilare; tunc enim non cives, eorumque actiones explorantur, sed potius horum locorum pericula præcaventur (1). Inter locos publicos præ ceteris theatra, quæ mores vel ridendo castigare, vel flendo mansuescere debent, politiæ vigilantiam efflagitant. Ad theatra quod attinet quatuor inspicienda sunt I. *spectatores*, ne quid eorum tranquillitatem perturbet: II. *actores*, ne decentiam, vel publicum lædant: III. scenicæ *lucubrationes*, ne mores aut publicam potestatem offendant: IV. *horæ* spectaculorum, ut cum publico ordine, ac civium negotiis congruant (2).

CAP. III.

DE POLITIA JUDICIARIA.

§. 1251. Quæ de actione publica (§. 448.) et inquisitione (§. 557. *et seq.*) diximus, patratorum criminum auctores investigandi necessitatem supponunt. Accusatores publici mediam veluti sedem inter politiam, et justitiam quo-

---

(1) Bexon *Code de la sureté publique, et particuliere liv. 1. tit. 1. chap. 2. art. 9. et seqq.*

(2) Henrion de Pansey *De l' autorité judiciaire etc. chap. 18. pag. 314.*

dammodo occupant: ast ad politiam propius pertinent (1), ex quo intelliget quisquam, processum inquisitorium (§. 573.), in quo eadem persona inquirit et judicat, publicorum judiciorum regulis (§. 411.), exacte non respondere. Quævis autem sit publicorum judiciorum forma, politiæ officium est omnia tentare ut criminum, eorumque auctorum eruatur probatio.

§. 1252. Non pauca sunt politiorum populorum instituta, quæ vel quamvis in alium finem prorsus comparata, vel hunc in finem speciatim excogitata, criminum detegendorum facilitati prospiciunt.

§. 1253. Quamvis alio pergere videantur, politiam judiciariam auxilio adjuvant I. omnia, quæ personarum identitatem statuunt, ut puta fœminarum et masculorum distinctæ vestes (2), nomina, cognomenta, quæ absque publicæ auctoritatis annuentia mutare nemini licet (3): II. quæ locorum identitatem definiunt, scilicet urbis sectiones, nomina viarum, numeratio domorum: III. populationis tabulæ in quibus domicilium, ætas, sexus conditio civium inscribitur (4): IV. viarum, in quibus publice iter fit, noctis tempore illuminatio (5).

---

(1) Hujusce propositionis veritatem confirmant quæ de *ministerio publico*, quod vocant, ejusque officio præclare scripsit Henrion de Pansey *De l' autorité judiciaire etc. chapt* 7.

(2) Bentham *loc. cit. chap.* 12. *pag.* 104.

(3) Bentham *loc. cit. p.* 105.

(4) Bentham *loc. cit. pag.* 103. Sonnenfels *Scienza del buon governo* §.

(5) Sonnenfels *Scienza del buon governo* §. 323.

§. 1254. Ad politiam judiciariam speciatim referuntur I. obligatio civibus imposita, ut si legis nomine lictoribus adsistere requirantur, id præstent: II. eorum exploratio, qui reos, ac res crimini pertinentes recipere consuescunt: III. difficultas quoad reos evadendi, quod novam commeatuum usus rationem suppeditat (1): IV. asyla in civitate nulla (2).

CAP. IV.

DE POLITIA PUNITRICE.

§. 1255. Politia, quæ punit, I. aut transgressiones (§. 1165.) de quibus jam actum est, II. aut ea, quæ œconomicus magistratus pro re nata tantum vetat aut imperat, III. aut censuram respicit, quam ipse magistratus exercet I. vel ut moribus II. vel ut legum imperfectioni prospiciatur.

§. 1256. Quæ œconomicus magistratus pro re nata tantum aut vetat aut imperat, ab eo edi-

---

(1) Bentham *loc. cit. chap.* 13.

(2) Sonnenfels *Scienza del buon governo* §. 327. Parum sibi cohæret Bentham cum, ut facilius delicta eorumque auctores detegantur, ostendere conatur, non pauca juris nostri aphorismata quæ totidem privatæ securitatis propugnacula sunt, ab usu fori esse rejicienda scilicet 1. *nemo testis in causa propria*: 2. *nemo testis contra se ipsum*: 3. *testes de auditu rem plene non probant*: 4. *non bis in idem*: 5. *satis est impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem damnari. Traités de legislat. civ. et crim. vol.* 3. *chap.* 14.

cuntur vel publicæ securitatis, vel publicæ prosperitatis gratia cum de iis agitur quæ temporarie tantum occurrunt, quæve ob objectorum tenuitatem legum sanctionem non merent (1).

§. 1257. Inter ea, quæ prima fronte ad justitiam pertinere videntur, multa sunt, quæ ad politiam remittuntur, quæque suo loco notavimus (2). His adjicienda sunt, quæ pariter ad mores attinent, scilicet improbum otium, ebriositas, improba mendicitas, rixandi habitus, et similia (3), quorum excessuum rei ab œconomico magistratu ad arbitrium, ut inquiunt, plectuntur (4).

§. 1258. Si quid accidat, quod suapte natura publicum bonum lædat, atque a legibus haud prævisum fuerit, putant nonnulli, de ea re a politiæ magistratibus pronunciandum, pœnasque sumendas esse (5). Quid de hac controversia dicendum alibi statuimus (§. 73.).

---

(1) Henrion de Pansey *De l' autorité judiciaire etc. chap.* 18. *in fin*. Eruditissimus, ac ingeniosissimus vir controversiam discutit ac dirimit jamdiu exagitatam utrum contentiosa jurisdictio circa ea, quæ ad politiam pertinent, judicibus potius quam œconomicis magistratibus sit demandanda, et his non illis demandandam esse pluribus argumentis demonstrat.

(2) Conf. §. 679. §. 773. *not. d.* §. 776. §. 1047. §. 1087. aliosque.

(3) Henrion de Pansey *De l' autorité judiciaire etc. chap.* 18. *pag.* 314.

(4) Pœnas, quas politiæ magistratus tum inferiores tum superiores decernere possunt, diserte apud nos lex statuit. Cod. Leop. *art.* 56.

(5) Puffendorf *De Jur. nat. et gent. lib.* 8. *cap.* 1. §. 1. Bendoni Proleg. *Jurispr. crimin.* Creman. *lib.*

CAP. V.

DE POLITIÆ MAGISTRATUS OFFICIO.

§. I.

Officii indoles.

§. 1259. Qui politiæ præsunt, cum imperium (§. 420.) habeant, magistratus recte appellari jam diximus (§. 425.). Quia vero politia actio permanens summi imperii est (§. 1190.), magistratus, qui eam exercent, potestatis PRINCIPIS potius quam justitiæ, ideoque jurisdictionis funguntur muneribus (1). Justitia generales regulas, quæ circa civium jura privata vel crimina et pœnas lex statuit, applicatio est in actorem et reum. Politia utpotequæ publico ordini, publicæque tranquillitati pro rebus circumstantibus prospicit, harum rerum motum ac cursum perpetuo sequitur, illiusque actio hujusmodi motui ac cursui æqualis oportet sit (2). Quapropter nec generales regulas antea præstitutas applicat, nec instante actore pronunciat: omnia potius proprio motu peragit (3).

---

1. *cap.* 1. §. 11. *Salus populi suprema lex esto.* Quoad hujus effati usum et abusum conf. quæ nuper scripsit mulier philosophis non immerito adnumeranda. *Considerations sur les principaux evenements de la revolution française par Madame la Baronne de Staël vol.* 2. *chap.* 15.

(1) Loiseau *Traité des seigneur. chap.* 9. *n.* 3.

(2) Henrion de Pansey *De l' autorité judiciare etc chap.* 18. *pag.* 328.

(3) Loiseau *loc. cit.*

§. 1260. Quæ cum ita sint nemo non videt, politiæ magistratus officium, ut ea qua per est diligentia exerceatur, fere et ut ita dicam supra hominis vires esse. Rerum divinarum humanarumque notitia, philosophia scilicet: legum ferendarum scientia, jurisprudentia, naturæ hominum studium, politici reginfinis peritia: hæc omnia quoad *intellectum* in politiæ magistratu desiderantur. Præterea ad *voluntatem* quod attinet, justitiæ amor cum publici boni studio ita est conjugendus, ut quæ magistratus pronunciat aut statuit, legum sanctitatem quodammodo præseferant, præconceptis opinionibus animus perpetuo vacuus: nulla alia erga cives affectionis ratio quam quæ ex eorum vel virtutibus, vel vitiis ortum ducit: dissimulatio, quæ perpetua prudentiæ comes est, non simulatio, quæ animi vel parvitatem, vel pravitatem redolet, quæque contemptum secius ocius parit: in decernendo maturitas: in agendo celeritas: hæc omnia pariter in politiæ magistratu requiruntur, quibus si religionem, pietatem, fidem adiiciat, non deerit quod sequatur.

§. II.

Officii objecta.

§. 1261. Hujusmodi officium I. vel *edicta*, II. vel *vigilantiam*, III. *punitiones* respicit (§. 1194.).

§. 1262. I. Edicta quantum fieri potest ad ea, quæ reapse publico bono necessaria sunt, restringenda. Etenim actiones hominum, quæ jure naturæ indifferentes sunt (§. 1165.), ideoque

licitæ sola politica necessitas (§. 1165.) prohibet (1).

§. 1263. II. Vigilantia vel politiæ administrativæ, vel politiæ antejudiciariæ aut judiciariæ defectus, vel ea, quæ contra mores fiunt, *speciatim* spectat: *generalim* ad cunctos publici, privatique ordinis partes porrigitur.

§. 1264. Hoc sub aspectu politiæ magistratus recte romanæ reipublicæ censoribus comparatus est, cum tamquam in sublimi speculo positus continuo invigilet ne quid respublica detrimenti patiatur (2), quamvis romanorum censorum munera ab iis longe differant ac distant, quæ politiæ magistratus officium constituunt (3).

§. 1265. III. Cujus indolis pœnæ esse debeant quæ pro transgressionibus decernuntur, atque

---

(1) ,, Il y a, optime animadvertit Bentham, deux ,, choses à observer sur ce sujet ; c' est, que la po- ,, lice ne doit etre minutieuse, et inquiete ou point ,, d' exposer les sujets à se trouver en faute ou à ,, etre vexès en leur imposant des regles difficiles et ,, nombreuses. La seconde observation c' est qu' il faut ,, prendre garde à ne pas choquer l' esprit national. ,, Tel peuple ne pourrait pas supporter la police de tel ,, autre. Dans la capitale du Japon chacun est obligè ,, de porter son nom sur son habit. Cette mesure peut ,, paraitre ou indifferente ou tirannique selon la tour- ,, nure des prejugès publics ,, *Traitès de legisl. civil. et crim. vol.* 3. *chap.* 12.

(2) Cremani *Prolegom.* §. 38.

(3) Quomodo censoria romanorum potestas a nostrorum temporum politia differat singillatim explanandum curavi in opere, quod quamvis fere absolutum nondum adhuc tamen editum fuit. *Istoria dell' origine e de' progressi delle teorie della pubblica e privata sicurezza.*

irrogantur suo loco diximus (§. 1167.) Pœnæ vero, quæ ad morum correctionem pertinent, hunc finem haud prætergrediantur oportet (1). Huc præterea revocanda sunt, quæ circa delatorum licentiam, atque innocentiæ pericula in politiæ delictis coercendis jam animadversa fuere (§. 1166).

§. III.

Monitum.

§. 1266. Nemo erit, qui non intelligat, potestatem fere legibus solutam, qua politiæ magistratus potiuntur, sedulam atque assiduam supremi societatis Rectoris vigilantiam exposcere. Quapropter sapientissime a nostris legum conditoribus statutum est, ut si qui a politiæ magistratus decisionibus se læsum putaverit, ad Principem decurrere ei integrum sit, ac novum negocii examen, solemni istituto judicio, impetrare, executione interim œconomicæ condemnationis suspensa (2).

FINIS.

---

(1) Cremani *loc. supr. cit.* et *auct. in not. laud.*
(2) Cod. Leop. *art.* 56.

MATERIARUM QUÆ IN HOC SECUNDO VOLUMINE CONTINENTUR.

CONSPECTUS.

Maceratæ die 17. Novembris 1828

REIMPRIMATUR

Steph. Can. Gambini Pro-Vicarius Generalis

Maceratæ die 17. Novembris 1828

REIMPRIMATUR

Fr. Raymundus Jaffei Ord. Præd. Vicarius S. Officii

Visto per la stampa

Per Monsignor Delegato Apostolico

G. Antinori Assessore

CARMIGNANI
JURIS
CRIMINALIS

blicis autem judiciis, cum publica salus cum

nequit, quin ulla inter utrumque processum